SACRAE ROTAE ROMANAE DECISIONES, IN PERUSINA REINTEGRATIONIS...

Chiesa cattolica : Tribunale della Rota romana, ...

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
22 G
47

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

40 40
A. 8

Digitized by Google

Digitized by Google

SACRÆ ROTÆ ROMANÆ
DECISIONES,

In Peruſina Reintegrationis de Ninis

Ad interpretationem

STATVTI,

Excludentis fœminas propter maſculos.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AVGVSTÆ EBVRONVM,
Apud Ioannem Ouwerx, Typographum iurat.
Sub S. IGNATIO. CIↃ. IↃC. XXX.
Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO,
AC REVERENDISSIMO DOMINO
D. PETRO ALOYSIO CARAFAE,
EX DVCIBVS NVCERIÆ,
MARCHIONIBVS ANTII, &c.
EPISCOPO TRICARICEN.
AC
Sedis Apoſtolicæ, per Tractum Rheni, & inferioris Germaniæ partes, cum poteſtate Legati de latere, Nuncio.

Io: Baptiſta de Ninis I.C. Peruſinus fęlicitatem.

PRodeunt, & dedicãtur Nomini tuo, Illuſtriſsime Præſul, hæ Deciſiones, atque ſuffragia, quæ tulit in noſtrâ Peruſinâ Reintegrationis Rota Romana; hoc eſt Sacra illa Curia, in cuius adytis inuenitur Ara, & ignis perpetuus æquitatis. Cùm verò in omni controuerſiâ luceat integritas eius, atque iuſtitia planè virginea: quam vtique nemo tentare audeat, nedum violare: id in hac no-

Digitized by Google

noſtrâ Peruſinâ apparuit multò præclarius. Vt par eſſe proinde videatur; in huius quoque Legationis Tuæ theatro, lucem hanc eius, vt latè ſplendeat, explicari. Verùm ſi dum hæ Deciſiones eduntur, Te Patronũ non haberent; metuerẽ profectò, ne in eâ re ſolùm crederentur quodãmodo à Iuſtitiâ deſciſcere. Etenim Tu es Patronus familiæ; de cuius iuribus, in ſacro eo Rotæ tribunali, ante nouenniũ cœptũ eſt diſceptari. Sæpè es percõtatus humaniſſimè de cauſæ ſpe, atq; progreſſu: ſæpè etiam hortatus, vt quæ mihi & familiæ meæ obueniunt à Maioribus hæreditaria, ea pergerem tueri conſtanter: ſicut & feci ſanè, quo potui maiore conatu, ad annos iam fermè ſex, à finibus Italiæ abſens, & muneribus huius Legationis obſequens beneficio tuo. Teſſeram hanc itaque obſequij mei, Tibi titulis adeò amplis & adeò iuſtis debitam, libens accipe: dum ego cum illâ, ſimul me, & omnia vota mea, dedo ac dedico Tuæ virtuti pariter ac felicitati. Vale in annos diutiſſimæ proſperitatis. Leodij Nonis Ianuarij. M. DC. XXX.

Digitized by Google

ARGVMENTA
DECISIONVM.

I.

DEſcendentia ſeu Filiatio an & ex quibus intelligatur probata.

II.

Fœminæ temporaliter à ſucceſſione excluſæ propter maſculos ijs deficientibus ad ſucceſſionem reintegrantur.

III.

Diſſoluuntur difficultates propoſitæ contra præcedentem Deciſionem.

IV.

Per exiſtentiam proximiorum, an & quando excludantur gradu remotiores in terminis Statuti Peruſini, & an legitimatus per ingreſſum Religionis acquirat Ius ſuccedendi, & in quibus.

Digitized by Google

V.

Diſſoluuntur pleniſſimè difficultates; quibus oppugnatur præcedens Deciſio in puncto, An remotiores vocentur ad reintegrationem nō obſtante exiſtentia proximiorum.

V I.

Iterum examinatur diligentiſſimè materia præcedentium duarum Deciſionum.

V I I.

Poſſeſſio bonorum, & eorundem identitas ex quibus probetur.

V I I I.

An fœmina per Statutum excluſa, poſſit, natis filijs ex illis, à quibus fuit excluſa, & poſtea extincta totaliter linea maſculina, ad ſucceſſionem reintegrari.

IX.

Digitized by Google

IX.

Statutum excludẽs fœminas quouſque maſculi extabunt, non verificatur in momento temporis, ſed requirit perſeuerantiam maſculorum, quibus deficientibus ſucceſſio reuertitur ad fœminas.

Arbor

Digitized by Google

Arbor Sacræ Rotæ propoſita.

Anſideus

ex Nobilibus de Catrano

Philippus

Bernardinus

Hannibal. Cæſar. Conſtantinus. Lucretia. *nupta Hieronymo* de *Ninis.* Minerua. *nupta Vincentio* de *Cauaceppis*

Bernardinus, *cui ſine Maſculis mortuo ſuperſunt ex* D. Iſabella Comitiſſa *Brancaleona*

M. Antonius *naturalis, Ordinis S. Auguſtini*

Theſeus

Conſtantia

Margarita *Monialis.*

Angela. *nupta* D. *Diomedis* *de Oddis.*

Cleopatra *Monialis.*

Io: Baptiſta, & cæteri *de* *Ninis.*

Olimpia *Abbatiſſa & cætera Moniales* *de Danzettis.*

R. P.

Digitized by Google

R. P. D. BVRATTO

Peruſina Reintegrationis

De Ninis

Lunæ 26. Iunij 1623.

DECISIO PRIMA.

ARGVMENTVM.

Deſcendentia ſeu Filiatio an & ex quibus intelligatur probata.

SVMMARIVM.

1. *Filiatio probatur; vbi quis à parentibus nominatur filius.*
2. *Item vbi tractatur, vt filius & quando communiter reputatur vt filius & num.* 3. & 5.
4. *Teſtis deponens ſe fuiſſe præſentem natiuitati alicuius plene probat eius filiationem reſpectu matris.*
6. *In probanda filiatione in antiquis, ſufficit publica vox, & fama, etiam ſine adminiculis.*

Digitized by Google

7. *Tempus antiquũ, quod dicatur in materia teſtium.*
8. *Actus ſi ſint proportionabiles filiationi, conferunt ad illius probationem.*
9. *Collatio in matrimonium, & conſtitutio dotis refertur ad filias & deſcendentes ſecundum communiter accidentia.*
10. *Dotis ſolutio probatur per confeßionem de recepto ſtante promißione.*
11. *Scriptura extracta per Archiuiſtam probat ſine compulſorialibus.*
12. *Aſſerenti ſe Archiuiſtam creditur de ſtylo Rotæ.*
13. *Remiſſoria in Prophanis dirigi poteſt etiam Laico*
14. *Teſtes pauperes & viles ſi ſint bonæ fidei non reijciuntur à teſtificando.*
15. *Defectus vnius teſtis ſuppletur ex depoſitione alterius, qui non patitur exceptiones.*
16. *In teſtibus quæ ſingula non proſunt vnita iuuant.*
17. *Ad probandam filiationem ad effectum ſuccedendi ſufficiunt leuiores probationes.*

INtentato per *DD. de Ninis & Danzettis* remedio Satuti Peruſini reintegratorij fœminarum & deſcendentium ab eis ad ſucceſſionẽ *Bernardi Proaui Materni & Cæſaris & Conſtantini eius filiorum* ob defectum eorumdem lineæ maſculinæ fuit per Reos conuentos oppoſitum de legitimatione perſonarum dd. actorum, de quâ tamen fuit hodie reſolutum, conſtare.

Nam filiatio legitima, & naturalis tam maſculorum quam fœminarum *de Ninis ex Theſeo & Lauiniâ* coniugibus,necnon ſororum de*Danzettis ex Cōſtantiâ & Rodulpho* ſimiliter coniugibus probatur ex teſtibus in eorum ſum°. n. 6. & 7.

Filiationem vero*Theſei & Conſtantiæ ex Lucretia & Hieronymo* probant ijdem teſtes dicto ſum°. n. 5.
1. qui benè viſi fuerunt de filiatione probare, cum deponant, non ſolum de nominatione parentum, & præſertim *d. Lucretiæ* tanquam filiorum legitimo-
2. rum & naturalium, ſed etiam de tractatu & com-
3. muni reputatione tam dictorum parentum quam aliorum *Iuxta text. in c. per tuas de probat. & ibi omnes.gloſ.in c.Michael in verbo conſtiterit de Fil.Presb. Butr. in c. tranſmiſſa n.* 10. *verſ. quandoquidem Qui fil.ſint legit. Alex. conſ.* 88. *n.* 9. *lib.*7. *Gozadin. conſ.* 13. *nu.* 34. *Ruin. conſ.* 128. *n.* 11. *lib.* 4. *Pariſ. conſ.* 29. *n.* 9. *lib.*2. *Menoch. de arbitr. caſ.*89. *nu.* 69. *Surd. conſ.*1. *n.*46. *Rota Deciſ.* 347. *n.* 2. *parte* 1. *recent. benè Mantic. Deciſ.*317. *n.* 1. *& fuit dictum in Romana Bonorum coram me* 17. *Maij* 1621. *& in aliis.* Immo 18. teſtis dicit vidiſſe *Lauiniam coniugem dicti Theſei*
4. dum erat prægnans omnium ferè illorum *de Ninis* & 36. deponit ſe fuiſſe præſentem natiuitati dd. Sororum *de Danzettis* quæ reſpectu *Conſtantiæ* matris dicitur probatio neceſſaria *Iuxta doctr. Bald. in l.*1. *n.* 34. *C. de his qui accuſ. non poſſ.*

 Quod

Digitized by Google

·Quod autem dicta *Lucretia* fuerit filia legitima & naturalis *Bernardini* deducebatur ex ijſdem teſti-
5. bus d. ſum. n. 4. deponentibus non ſolum de tracta-tu, & communi reputatione eorum qui dictam *Lucretiam* cognoſcebant, qui probant ex ſupradedu-ctis, ſed etiam ex publicâ voce & famâ, quæ in pro-
6. banda filiatione antiquâ ſufficit etiã ſine adminicu-lis *Sali. in l. 3. n. 12. verſ. in caſibus ff. de teſtibus, & in l. eadem quidem nu. 14. C. de accuſ. Prob. ad Monach. in §. ſcienti nu. 15. de reg. Iur. cum relatis per Pereg. d.*
7. *art. 43. n. 88. & in d. Romana Bonorum*, & tempus antiquum in materia teſtium eſſe 60. annorum ſe-cundum opinionem Rotę teſtantur *Caputa q. Deciſ. 5. n. 3. Part. 3. Seraph. Deciſ. 75. n. 1. & Farinac. de teſtibus quæſtione 69. n. 145. & in puncto fuit reſolutum coram Puteo Deciſ. 506. n. 1. & 3. lib. 2. Latè Cæſ. de Graſſ. d. Deciſ. 6. n. 2. & 10. Qui fil. ſint legit.*

Et eorum depoſitiones confirmabantur ex pactis matrimonialibus de anno 1532. in quibus dictus *Bernardinus & Eliſabeth* Coniux promittunt dare in vxorem dictam *Lucretiam* eorum filiam legitti-mam & naturalem cum dotæ flor. 800. *Hieronymo de Ninis*, & anno ſequenti fecerunt de eadem pro-miſſione dotis publicum Inſtrumentum, cum con-feſſione *Hieronymi* ſe accepiſſe ad computum dotis flor. 500. & cum eadem enũnciatiua, Quod *Lucretia* erat eorum filia legitima & naturalis, & demum de

an.

an. 1538. dictus *Hieronymus* fecit quietantiam de reſiduo d. dotis vt in ſum. dd. actorum nu: 1. 2. & 3. qui 8.
cum ſint actus proportionabiles filiationi iunctâ filiatione pluries repetita valdè conferunt ad illam probandam *Bart. in l.* 1. *§. quod Senatus n.* 3. *verſ. verum ego ff. de lib. agnoſc. Bald. in c. ex tranſmiſſa n.* 4. *de reſtit. ſpol. Aret. in c. per tuas n.* 23. *felin. nu.* 17. *de probat. Præpoſ. in d. cap. tranſmiſſa in fine Qui fil. ſint legit. Alex. conſ.* 88. *nu.* 8. *lib.* 7. *Ruin. conſ.* 53. *nu.* 6. *&* 7. *lib.* 5. *Natt. conſ.* 235. *n.* 1. *& ſeq. Cephal. conſ.* 48. *nu.* 15. *Surd. d. conſ.* 1. *nu.* 47. *Menoch de Præſumpt. lib.* 6. *Præſumpt.* 53. *nu.* 39. *Pereg. de Fideic. art.* 43. *nu.* 78. *Rota deciſ.* 347. *n.* 2. *&* 372. *nu.* 8. *Parte* 1. *recent. & in his terminis Rota d. Deciſ.* 472. *nu.* 2. *& fuit dictum in Romana de Iauellis* 13. *Nouembris* 1613. *coram R. P. D. Vbaldo & in Collen. Hæreditatis* 26. *Februarij* 1616. *coram me Gratian. diſcept. For.* 562. *n.* 72. *&* 653. *num.* 7.

Et quamuis Collatio in matrimonium, & conſtitutio dotis alijs quam filialibus conuenire poſſe iudicatur, tamen adhunc effectum ſufficit quod à cõmuniter accidentibus filiæ vel deſcendentes tantum dotari ſoleant, vt in his terminis *Rota Deciſione prima nu.* 3. *parte prima diuerſ.* 9.

Non obſtat quod de dotis ſolutione non conſtet 10.
niſi per Confeſſionem de recepto, quia vltra quod non agatur ad reſtitutionem; ſtante præcedente pro-

Digitized by Google

miſſione ſatis probatur ſolutio *Afflict. Deciſ 402. nu. 9. verſ. Sed in contrarium Rota Deciſ. 485. nu. 5. lib. 3. parte 3. & Deciſ. 324. nu. 3. parte 2. Recent. & coram Smo. Dec. 491. n. 7. & fuit dictum in Romana Augmenti Datij* 20. *Nouembris* 1589. *coram bo. me. Gipſio & in aliis.*

Prout non obſtant quæ dicebantur contra extra-
11. ctionem dictarum ſcripturarum, quia ſcripturæ extractæ ab Archiuiſta vt d. ſum. nu. 2. & 3. probant quamuis ſine Compulſorialibus *ad not. in Auth. Si quis in aliquo C. de Eden. Caputaq; Deciſ. 351. n. 3. &*
12. 4. *Parte* 2. & de eius deputatione conſtat ex propria atteſtatione, cui ſtilo Rotæ creditur *Caputaq; Deciſ. 245. nu. 1. parte 2. & in dicta Deciſ. 27. nu. 1. & in aliis.*

Nec viſa fuit attendenda noua oppoſitio facta teſtium examini ex eo quod Remiſſoria Rotalis dire-
13. cta fuit Auditori Rotæ Peruſiæ Laico, quia cum cauſa ſit Prophana & Rei ſint Laici ſufficit examẽ commiſſum fuiſſe habenti Iuriſdictionem *Iuxta Auth. Apud eloquentiſſimum & ibi gloſſ. 1. & Doct. C. de Fide inſtru. & §. quoniam Auth. de teſtibus & ibi Bart. nu.* 10. & 21. & Rota paſſim in cauſis prophanis Iudices laicos ſolita ſit ſubdelegare prout Auditorem Rotæ Peruſiæ ſubdelegauit *in Cluſina Poſtæ Puteoli coram me & nuper in alia Peruſ. Fidei. de Gratianis Coram R. P. Cauallerio.*

Nec

14. Nec quod aliqui ex prætactis teſtibus ſint paupe-
res & viles, cùm ſint bonæ fidei & ob id nō reijciantur *c. Si quis. vbi Butr. & Felin. n. 8. de Teſtibus: Specul. eod. tit. §. 1. nu. 61. Cæſ. de Graſſ. dicta Deciſ. 9. n. 5. & Deciſ. 12. n. 1. Qui fil. ſint legit. Rota Deciſ. 444. nu. 1. & 2. p. pa. recent, & fuit dictum in Signina Pœnarum 28. Iunij 1621. coram me.*

15. Et alij defectus quamuis non viderentur bene in
facto iuſtificari, ſupplebantur tamen ab eis qui nullam patiebantur exceptionem *Alex. conſ. 1. nu. 11. Neuiz. Conſ. 47. n. 202. & ſeqq. Gab. concluſ. 5. de Teſtib. Seraph. Deciſ. 241. n. 2. & fuit dictum coram me in Conimbricen. Matrimonij 14. Decembris 1615. in Fauentin. Bubularum 4. Iulij 1618. & in Placentin. Caſtanearum 15. Nouembis 1621.*

16. Et nihilominus quatenus ſingula de per ſe ali-
quam pati poſſent difficultatem, ſimul iuncta pro-
vt iungi debent viſa fuerunt Dominis exhuberare ad legitimā filiationem & deſcendentiā etiam per gradus diſtinctos probandā. *Corn. Conſ. 1. n. 22. ver. ex quibus vol. 3. Rolan. conſ. 22. n. 27. lib. 3. Menoch. de arbitr. caſ. 89. n. 66. Surd. d. conſ. 1. nu. 52. verſ. & quamuis, & fuit dictum in allegata Romana Bonorū & Regien.*

17. *Capellaniæ 22. Maij prætacti coram me*, & præſertim
quia agitur ad effectum ſucceſſionis, & leuiores ſufficiunt probationes *Iuxt. conſ. Gemin. 27. à Rota paſſim approbat. Cæſ. de Graſ. dicta deciſ. 6. nu. 1. qui fil.*

ſint

ſint legit. Seraph. Deciſ. 1099. nu. 1. & 1282. num. 6. Rota Deciſ. 337. num. primo & decimo parte prima & Deciſ. 34. nu. 19. parte ſecunda diuerſ. & Deciſ. 198. & 310. num. primo & 406. num. 8. part. 3. recent. & perpetuo Rotam ſequi fuit dictum in Repetita Romana Bonorum 17. Maij 1621. coram me.

Et ita deciſum. vtraque parte informante.

R.P.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

Digitized by Google

R. P. D. BVRATTO

In eadem 31. Maij 1624.

DECISIO II.

ARGVMENTVM.

Fœminæ temporaliter à ſucceſſione excluſæ propter maſculos ijs deficientibus ad ſucceſſionem reintegrantur.

SVMMARIVM.

1. *Excluſio temporalis Fœminarum à ſucceſſione dicitur quædam ſuſpenſio.*
2. *Hæreditas non dilata, non tranſmittitur.*
3. *Tranſmiſſio non eſt neceſſaria, vbi quis vocatur ad ſucceſſionem ex propria perſona.*
4. *Semel hæres nunquam deſinit eſſe hæres. Intellige niſi Statutum diſponat contrarium.*
5. *Leges referuntur ad ea, quæ magis cõmuniter contingunt.*
6. *In ſucceſſione parentum iura non diſtinguunt inter maſculos & fœminas.*
7. *Fœminæ habent ſuam intentionem fundatam, in ſucceſſione parentum.*

DOmini cenſuerunt eſſe locum Statuto Peruſino de Dotibus & dotatis mulieribus,&c. ad fauorem Actorum in hæreditatibus *Bernardini ſenioris* illorum Proaui materni & *Cæſaris & Conſtantini* eius filiorum, qui fuerunt Patrui magni dictorum Actorum, ac legitimatio perſonarum firmata fuit 26. Iunij præteriti.

Et fundamentũ fuit clariſſima diſpoſitio dictiStatuti Quod Mulier dotata à Patre, vel quocumque aſcendente de bonis proprijs dotantis,non poſſit, nec ab ea deſcendentes, admitti ab inteſtato ad ſucceſſionem dotantis, vel alicuius ex eis deſcendentibus in bonis ab eadem perſona dotante ad deſcendentes prouentis quouſque ſuperuixerit maſculus deſcendens à Perſona dotantę per lineam maſculinam. *Et in §. Item ſtatuimus* Quod fœminæ & ipſis nõ exiſtentibus earum Filij vel Nepotes quandocumque concepti vel nati poſſint venire ad ſucceſſionẽ Parẽtum,

tum, Fratrum, & aliarũ perſonarũ, ad quarum ſucceſſionẽ de Iure vocantur, ſi deſcendentes per lineam maſculinam maſculi non ſuperſint. Et ideò cum ſit in confeſſo, *Lucretiam* eorumdem Actorum Auiam fuiſſe à *Bernardino Patre* dotatam, & *à dd. Cæſare & Conſtantino* ſolutam, & defectus omnium filiorum maſculorum dicti *Bernardini*, & mors dictæ *Lucretiæ*, quæ ſi ſuperſtes fuiſſet, reintegrari debebat, videtur intrare diſpoſitio dicti ſtatuti.

1. Et primo quoad bona dicti *Bernardini ſenioris*, quia excluſio *Lucretiæ* non fuit perpetua, ſed temporalis, & potius quædam ſuſpenſio ex claris verbis Statuti ibi Quouſque ſuperuixerit maſculus deſcendens ab ipsâ perſonâ dotante per lineam maſculinam, vt in terminis dicti ſtatuti dicit *Bart. in l. fin. §. Quomodo nu.* 1. *&* 2. *ff. ad Tertull. Bald. conſ.* 426. *nu.* 1. *lib.* 3. *quem ſequitur Iaſ. conſ.* 105. *verſ.* 3. *lib.* 4. *Corn. conſ.* 160. *nu.* 9. *lib.* 4. *Capr. conſ.* 71. *& conſil.* 117. *Albert. Brun. de Statut. excluſ. fœmin. art.* 10. *n.* 67. *&* 68. *qui alios refert & Rota Deciſ.* 475. *parte* 2. *recent. per tot.*

2. Nec eſt opus tranſmiſſione cum *Lucretia* prædeceſſerit ante extinctionem lineæ maſculinæ, & ſic non potuit hæreditatem non delatam tranſmittere, quia quicquid ſit in hoc puncto tranſmiſſionis de

Digitized by Google

opinione *Honded. conſ.* 10. *n.* 29. *lib.* 1. *&* *conſ.* 14. *n.* 19. *&* 72. *lib.* 2. *&* *Gabr. conſ.* 42. *nu.* 54. *lib.* 2. contra quos concludunt *Bald. & Iaſ. ſupracitati. Menoch. conſ.* 105. *n.* 78. *lib.* 1. *vbi de communi*, ceſſat difficultas quia in d. §. *Item ſtatuimus* vocantur non exiſtentibus fœminis, earum filij vel nepotes quan-
3. documque concepti, vel nati, & ſic ex proprijs perſonis, & in iſtis terminis *Put. Deciſ.* 139. *lib.* 2. *in nou.* & conſ. Honded. & Gabr. loquuntur in terminis Statuti antiqui, in quo nulla erat facta mẽtio de filiis vel deſcendentibus fœminarum, vt ex eorum lectura & *ex conſ. Collegij Bonon. Impreſſ. poſt d. conſ.*
4. *Honded.* 14. *lib.* 2 Nec inconuenit quod ex diſpoſitione Statuti maſculi licet ſemel hęredes, deſinãt eſſe, & admittantur fœminæ illis ſublatis, vt conſiderat *Bart. in d. l. fin.* §. 1. *nu.* 2. *in fine. ff. Ad Tertull. Brun. vbi ſup. art.* 10. *nu.* 68. *Corn. d. Conſ.* 160. *nu.* 9. *lib.* 4.

Neque ſubſiſtit quod excluſio fœminarum dotatarum ſit perpetua vt in principio Statuti reformantis; & illa verba *quouſque* non ſint referenda ad principium Statuti, quãdo fœmina fuit dotata a b aſcendente de illius bonis, ſed ad proximè præcedentem particulam dicti ſtatuti & *in* § *in aliis autem*, in qua diſponitur quoad bona aliunde prouenta deſcẽdenti ab ipſo dotante in quibus mulier admittitur ad ſucceſſionẽ in tertia parte quouſq; ſuperuixerit maſculus:

ſculus: quæ diſpoſitio non applicatur caſui noſtro, in quo *Lucretia* fuit dotata à *Bernardino ſeniore*, nec tractatur de alijs bonis aliunde prouentis ad dictos filios, in quibus dicimus intrare excluſionẽ temporalem: quia intellectus iſte non placuit DD. cum di-
5. cta excluſio temporalis, ſit referenda etiam ad cauſam magis frequentem, quando tractatur de bonis dotantis, in quo caſu eſt longe maior ratio reinte-
6. grandi fœminas dotatas ad bona dotantis extincta illius linea maſculina, quam vigeat in bonis aliunde prouentis, cum ita res reducatur ad ius cõmune, quo inſpecto par eſt conditio fœminarum in ſucceſſione parentum *vulg. l. maximum vitium. C. de lib.*
7. *præter.* & ideo in illis habent intentionem fundatam *l. in ſuis ff. de lib. & poſthum. l. cum ratio C.* de *bon. damnat.* & tollitur pœnitus difficultas ex alia particula Statuti *in paragrapho. Item ſtatuimus vbi* Quod fœminæ poſſunt venire ad ſucceſſionem Parentum ſi deſcendentes maſculi per lineam maſculinam non ſuperſint, nec vlla ſit diſtinctio inter bona propria aſcendentium ſeu dotantium, ſiue aliunde prouenta.

Quæ diſpoſitio Statuti videtur ſolidum fundamentum pro Actoribus ad effectum reintegrationis ad ſucceſſionem etiam in bonis *Cæſaris & Conſtati-*

Digitized by Google

ni eorum Patruorum magnorum Statutum expreſſe vocet filios & nepotes fœminarum quandocumq; conceptos vel natos ad hæreditatem parentum, fratrum, & aliarum perſonarum, ad quarum ſucceſſionem de iure vocantur, & ideo ſicuti ſi extaret linea maſculina per obitum *Bernardini Iunioris* nunc extincta *Lucretia* ſoror dictorum *Cæſaris & Conſtantini* fuiſſet reintegrata in eorum bonis, eodem iure ſunt reintegrandi eius nepotes & deſcendentes.

An autem ceſſet dictum Statutum propter exiſtentiam *Margaritæ* filiæ *Mineruæ* ſororis dictorum *Cæſaris & Conſtantini*, vel propter exiſtentiam *M. Antonij filij* vt ſupponitur dicti *Cæſaris* per ingreſſum Religionis legitimati, Domini reſeruarunt ad aliam inſpectionem.

Et ita, &c. vtraque parte informante.

R. P.

Digitized by Google

R. P. D. BVRATTO
In eadem 14. Aprilis 1625.
DECISIO III.
ARGVMENTVM.
Diſſoluuntur difficultates propoſitæ contra præcedentem Deciſionem.
SVMMARIVM.

1. *Tranſmiſſio non attenditur, vbi quis venit ad ſucceſſionem ex propria perſona.*
2. *Reintegratio ad ſucceſſionem intelligitur ab Inteſtato.*
3. *Statutum debet ſemper interpretari, vt non reddatur eluſorium.*
4. *Grauatus non poteſt diſponere de bonis reſtitutioni ſubiectis in præiudicium vocati à lege vel à teſtatore.*
5. *Statutum dans reintegrationem, etiam ad bona alienata, non intelligitur de bonis alienatis in vltima voluntate per viam Iuſtificationis declara vt n. 6.*
7. *Statutum excludens, & deinde reuocans fœminas ad ſucceſſionem dotantis, non cenſetur eas excludere,*

&

& mox reuocare ad ſucceſsionem non dotantis. Declara, niſi Statutum fœminas ab omnibus, vel à certis portionibus hæreditarijs excludat & nu. 8.

9. *Reintegratio, datur in illis bonis, à quibus præceſsit excluſio.*

10. *Cauſa excluſionis fœminarum à ſucceſsione eſt fauor maſculorum ſuperſtitum.*

11. *Subſtitutione alicui facta, ſi ſine filijs maſculis deceſſerit, fœmina non facit deficere conditionem.*

DOmini ſteterũt in deciſis ſub die 31. Maij anni preteriti pro reintegratione actorum ad bona *Bernardini ſenioris Proaui & Cæſaris, & Conſtantini eius filiorum* ob defectum illorum lineæ maſculinæ iuxta diſpoſitionem Statuti Peruſini ex rationibus, & fundamentis Deciſionis quæ in omnibus placuerũt.

1. Nec obſtare dixerunt motiua nouiter excitata. Nõ pm. Quod non ſit locus tranſmiſſioni, ex eo quod linea maſculina extincta non fuit viuente adhuc *Lucretia* Auia dictorum Actorum; Quia, quicquid ſit circa tranſmiſſionem, illi reintegrationem prætendunt ex proprijs perſonis, & vti nepotes dictæ *Lucretiæ* ex verbis claris moderni Statuti comprehenſi, in quibus terminis rem nullam habere dubietatem admittit *Honded. conſ. 16. n. 12. verſ. & licet poſtea & nu. 13. vol. 1. & conſ. 14. nu. 15. vol. 2. & ibidem Colleg. Bonon. nu. 69. verſ. ſtatutum vero, & firmatur in alia Deciſione.*

Non-

Nonobſtat 2^m^. Quod vltimus maſculus condiderit teſtamentum, & ſic videatur ceſſare reintegratio, quæ in ſucceſſione ab inteſtato tantũ à Statuto conceditur *ex Anchar. conſ.* 300. *Non conſ.* 8. *& Honded. conſ.* 57. *nu.* 1. quia non tractatur de bonis, & ſucceſſione vltimi deſcendentis maſculi, in quibus terminis loquuntur *Non. & Hond.* ſed de reintegratione ad bona dictorum Proaui & filiorum, qui omnes deceſſerũt inteſtati & propterea finita linea maſculina nihil refert, quod vltimus teſtatus fuerit, vt in hoc Statuto admittit *Honded. conſ.* 6. *n.* 23. *& nu.* 39.
3. *vol.* 1. & alias Statutum redderetur omnino eluſorium, & eſſet in facultate grauati deludere fœminas per Statutum vocatas ſiue ſubſtitutas, quod non eſt
4. dicendum, vt in terminis ſubſtituti per Fideicom^m^. videtur *text. in l. Fideicomiſſum. ff. de condit. & demonſtr. latè Mantic. de Coniect. lib.* 11. *Tit.* 14. *n.* 19. *Anchar* verò *d. conſ.* 300. loquitur in Statuto ſimpliciter excluſiuo fœminarum propter agnatos, & ſic perpetuo, non autem temporaliter, vt in caſu noſtro ex allegat. in Deciſ.

5. Tertium verò motiuum, Quod licet per Statutum detur reintegratio etiam ad bona alienata, id tamen intelligi non debeat de alienatis in vltima voluntate
6. per viam inſtitutionis, procedere dicebatur, quando prohibitio alienationis facta fuit ſimpliciter vel fauore ipſius alienantis, ſecus, quando eſt facta fauore

ipſius ſubſtituti ſiue certarum perſonarum, ad quas teſtator poſt mortem grauati rem voluit peruenire, vt in hoc caſu, fauore fœminarum in defectum maſculorum, vt diſtinguunt *Doct. in l. peto. § fratre. & ibi præſertim Bart. n. 2. & Alber. n. 4. & 5. vbi de com. ff. de legat. 2. & in l. filius. fam. §. Diui ff. eod. & ibi Rip. nu. 99. Alciat nu. 41. verſ. quod ſi teſtator Crot. nu. 3. Soccin. Iun. nu. 102. Bald. conſ. 83. nu. 2. vol. 2. & hanc eſſe communem omnium opinionem teſtatur plures alios cumulan. Odd. de Fideicom. quæſt. 17. nu. 3.*

Ad quartum, Quod Statutum reintegrationẽ concedat ad bona tantum dotantis: *Lucretia* vero ex cuius perſona actores reintegrationẽ prætendũt, fuit
7. dotata à patre, non autem à dictis *Cæſare & Conſtantino* fratribus, & propterea tanquam ab eorum ſucceſſione non excluſa, quoad eorum bona non ſit reintegranda: reſpõſum fuit quoad bona in eos à patre dotante prouenta, ſuo tempore liquidanda, obiectum non applicari; quia Statutum in omnibus fœ-
8. minas excludit, & per conſequens ad omnia competit reintegratio; quo verò ad bona propria dd. fratrum, & aliunde prouenta, Statutum fœminas vocat ad ſucceſſionẽ tertiæ partis, & propter dotẽ habitam à patre illas excludit à duabus ex tribus partibus, ad quas propterea reintegratio denegari non poteſt, vt in ſimilibus Statutis *Aret. conſ. 143. In prin. Corn.*

conſ.

Digitized by Google

conſ. 233. *nu.* 1. 2. *lib.* 4 *Soccin. Iun. conſ.* 81. *nu.* 7. *eod. lib. Rimin. Iun. poſt alios quos refert conſ.* 31. *n.* 19. *lib.* 1. *Gabr. conſ.* 7. *nu.* 8. *vſque ad* 12. *lib.* 2. *Honded. conſ.* 14. *nu.* 1. *&* *conſ.* 40. *nu.* 40. *lib.* 2. Et Re-
9. gulare eſt, reintegrationē dari in illis bonis in quibus præceſſit excluſio *cap.* 1. *&* 2. 3ª. *quæſt.* 1. *§. eum qui in fine &* *§. quod autem ff. de vi & vi arm. Pariſ. conſ.* 105. *nu.* 2. *lib.* 3.

Nec tandem obſtare viſum fuit quod vltimus
10. Maſculus deceſſerit relicta filia hærede inſtituta, quia cum ſola cauſa excluſionis fœminarum fuerit fauor maſculorum, maſculis ceſſantibus fœminę quæ alias ſucceſſiſſent debent reintegrari, vt in terminis Statuti Senen. *Socin. conſ.* 10. *nu.* 9. *vol.* 3. *& de hoc Statuto, Put. Deciſ.* 197. *lib.* 2. *in antiq. & dictum fuit in alia Peruſina reintegrationis* 6. *Nouembris* 1595. *coram Bo. me. Penia, & in alia Peruſin. prima Iulij* 1613. *coram Reuerendiſſimo Domino Patriarcha Impreſſ. Deciſ.* 475. *nu. primo, & ſecundo, parte ſecunda*
11. *Recent*: ſicuti prætacta ratione, quando ſubſtitutio alicui facta fuit, ſi ſine filijs maſculis deceſſerit, fœmina non facit deficere conditionem. Iuxta doctr. *Bart. in l. cum Auus ff. de cond. & demonſtra. quam communiter receptam eſſe teſtatur ibi Soccin. nu.* 76. *& poſt alios Pariſ. conſ.* 18. *nu.* 37. *& conſ.* 39. *nu.* 3. *lib.* 2. *Peregr. de Fideicomm. art.* 26. *ſub. num.* 21. & propterea cum dicta fœmina de Iure prætactos

Digitized by Google

Actores à ſucceſſione dictorum Proaui, & *Cæſaris & Conſtantini* excludere non poſſit, de illa nulla videtur habenda ratio, vt in ſimili perſona quamuis proximiori vltimo maſculo dictũ fuit *in alia alleg. Peruſina Reintegrationis 6. Nouembris 1595. coram bo.me. Penia.*

Cætera viſa fuerunt in Deciſ. & per informantes ſublata.

Et ita deciſum vtraque parte iuformante.

R.P.

Digitized by Google

R. P. D. BVRATTO

In eadem. Lunæ 9. Iunij 1625.

DECISIO IV.

ARGVMENTVM.

Per exiſtentiam proximorum; an & quando excludantur gradu remotiores in terminis Statuti Peruſini, & an legitimatus per ingreſſum Religionis acquirat Ius ſuccedendi & in quibus.

SVMMARIVM.

1. *De Iure Succeſſiones ab Inteſtato, vel Reintegrationes deferuntur proximioribus, excluſis remotioribus in gradu & num.* 8.
2. *Verbum* de Iure, *quo modo accipiendum in Statuto Peruſino.*
3. *Reintegratio præſupponit excluſionem, & nu.* 5.
4. *Dictio* (Ipſæ) *eſt perſonaliſſima.*
6. *Præcedentia recipiunt interpretationem à ſequentibus.*

Digitized by Google

7. *Statutum reintegrans fœminas dotatas à parentibus, & fratribus, vel illorum deſcendentibus, non comprehendit eas, quæ à talibus dotatæ non fuerunt.*

9. *Legitimatio filij naturalis per ingreſſum in Religionem datur ad inſtar legitimationis per oblationem Curiæ.*

10. *Legitimatus per oblationem Curiæ, acquirit ius ſuccedendi ſoli patri, non autem alijs tranſuerſalibus.*

11. *Non dicitur quis Religionem ingredi, niſi in ea profiteatur.*

12. *Legitimatus, poſt mortem patris, fœminas non excludit.*

13. *Per ingreſſum Religionis, non dicitur quis fieri legitimus ad effectum ſuccedendi.*

FVit per duas Deciſiones reſolutum factum eſſe locũ Statuto Peruſino de Dotibus & Dotatis mulieribus ad fauorem Actorum in bonis *Bernardini Proaui materni, & Cæſaris, & Conſtantini* eius filiorum, qui eorundem Actorum fuerunt Patrui magni & quia in prima Deciſ. fuit reſeruatum vt videretur, an dictum Statutum ceſſaret propter exiſtentiam *Margaritæ* Monialis aſſertæ filiæ *Mineruæ* ſororis dd. *Cæſaris, & Conſtantini*, vel propter exiſtentiam *M. Antonij filij Cæſaris* per ingreſſum Religionis vt dicitur legitimati: Ideo propoſui cauſam ſuper reſeruatis, & Domini reſponderunt exiſtentiam dd. *Margaritæ, & M. Antonij* nõ impedire reintegrationem vt infra.

Digitized by Google

Fundamentũ fuit diſpoſitio clara Statuti antiquioris *in §. ſaluo quod & recentiori in §. Itẽ ſtatuimus vbi.*

Quod Fœminæ & ipſis nõ exiſtẽtibus earum filij vel nepotes quandocumque concepti, vel nati poſſint venire ad ſucceſſionem parentum, fratrum, & aliarum perſonarum ad quarum ſucceſſionem de Iure vocantur, ſi deſcendentes per lineam maſculinam maſculi nõ ſuperſint, & ſic cum *Lucretia* fœmina excluſa, Auia Actorum non extiterit tempore mortis *Bernardini Iunioris* vltimi maſculi, debent illi reintegrari vti nepotes d. *Lucretiæ* verbis expreſſis à Statuto vocati, vt in dictis Deciſionibus fuit comprobatum.

Non obſtat quod dictum Statutum fœminis non exiſtentibus reintegrat filios vel nepotes ad ſucceſ-
1. ſionem, *ad quam de Iure vocantur*, & ſic cum *Margarita* tanquam neptis *Bernardini & dd. Cæſaris & Conſtantini* ex filia & ſorore reſpectiuè ſit in gradu proximior, de Iure excludat dictos Actores pronepotes, quod eſt præcipuum fundamentum pro Reis.

Nam quicquid ſit de legitimatione & idoneitate perſonæ *d. Margaritæ*, illa clauſula Statuti *ad quam*
2. *de Iure*, dixerunt Domini non eſſe referendum ad dictos

dictos filios vel nepotes, ſed ad ipſas fœminas excluſas propter exiſtentiam maſculorum, ita vt ſenſus ſit, Quod fœminis non exiſtentibus, filij, vel nepotes ex propria perſona per viam reintegrationis ſuccedant in illa portione, quæ de Iure erat debita fœminæ, ſi à Statuto excluſa non fuiſſet; qui intellectus comprobatur ponderando verba eiuſdem Statuti. Et primo dum concedit reintegrationem ad bona parentum, & fratrum; quæ non conuenirent, nec conuenire poſſent filijs, & nepotibus fœminæ, cum Statutum non excluſerit illos à ſucceſſione propriorum parentum, vel fratrum, & conſequenter illis
3. non poteſt applicari reintegratio, quæ præſupponit excluſionem, & ſic priuationem *vulg. l. decem. de verb. obligat. Bald. conſ. 304. n. 6. verſ. an qui producit lib. 3. Alex. conſ. 152. n. 2. verſ. 2°. probatur lib. 6.* 2°. dictus intellectus comprobatur ex finalibus verbis d. §. eiuſmodi ſermonē vocationis continuan. *ibi* & hoc nonobſtante alienatione facta per dictos maſculos de bonis à quibus ipſæ mulieres propter exiſtentiam maſculorum fuerant ex-
4. cluſæ, quæ ſunt perſonaliſſima propter illam dictionem, *ipſæ*, quæ verba leguntur etiam in alijs locis Statuti tam reformati quàm reformātis, ſummario actorum nu. 2. & 3. *Bald. conſ. 304. In principio*

Digitized by Google

pio & nu. 1 *circa fin. lib.* 5. *Rota Recent. Deciſ.* 300. *n.* 21. *circa med. Parte* 1. & ſicuti iſta verba non poſſunt referri niſi circa excluſionem, & priuationem ipſarum fœminarũ, ita & alia præcedentia denotan-
5. tia vocationẽ, & ſic habitum, ad ipſas tantum referri debent, non autem ad ipſarum filios. *Gab. conſ.* 14.
6. *nu.* 8. & 9. *lib.* 2. cum præcedentia à ſequentibus declarationem recipiant, vt in alijs verbis eiuſdem Statuti. *Tob. Non. conſ.* 49. *nu.* 15. *Honded. conſ.* 2. *nu.* 14. *conſ.* 9. *nu.* 17. *conſ.* 12. *n.* 15. & *conſ.* 13. *n.* 39. *l.* 1.

Secundo principaliter dicebatur, extantiam dictę *Margaritæ* non obſtare; aut enim prætendit portionem aliquam debitam *Mineruæ* eius Matri, & reſpectu dictorum *Cæſaris*, & *Conſtantini* vana eſt prætenſio, quia ipſa eos prædeceſſit, *Lucretia* verò Actorum Auia ſuperſtes remanſit, vt ex arbore pro eis dato d. ſummario Actorum n. 4.; aut prætendit ſucceſſionem quaſi ipſamet fuerit excluſa, & cum
7. Statutum reintegret fœminas dotatas à parentibus, & fratribus, vel illorum deſcendentibus, & ipſa non fuerit dotata à *Bernardino ſeniore*, nec à prætactis *Cæſare vel Conſtantino*, prætenſio pariter non ſubſiſtit, vt in ſimilibus *Aretin. conſ.* 143. *in principio. Decius conſ.* 377. *nu. primo in fine verſ.* & *vlterius Corneus Conſ.* 233. *lib.* 12. *n.* 4. *Soccin. Iun. poſt alios quos refert conſ.* 31. *n.* 9. *lib.* 1. *Gab. conſ.* 7. *n.* 8. & *ſeq. lib.* 2. & *in hoc Statuto Thob. Non. conſ.* 1. *nu.* 56. *verſ. quia reſpondetur*

ſpondetur, *& Honded. conſ.* 14. *n.* 10. *&* 11. *vol.* 2.

8. Vltra quod tempore dictorum *Bernardini*, *Cæſaris*, *& Conſtantini*, *Margarita* non præcedebat in gradu dictam *Lucretiam*; ſed immo ipſa erat proximior, cum eſſet filia & ſoror illorum reſpectiue.

Nec pariter dixerũt Domini obſtare exiſtentiam *Marci Antonij*, nam, Quo ad portionem *Conſtantini*,
9. res viſa fuit indubitata, quia per legitimationem per oblationem Curiæ, ad cuius inſtar ſucceſſit legitimatio per ingreſſum Religionis, & oblationem Curiæ Cæleſtis, filius acquirebat Iura ſuccedendi ſoli
10. patri, non autem alijs tranſuerſalibus *§. filium verò auth. Quibus mod. nat. effic. ſui. l. cõmunium, vbi Bald. & alij. C. de Nat. lib. Angel. conſ.* 1. *nu.* 5. *circa med. verſ. Item talis legitimans. Soccin. Iun. conſ.* 142. *nu.* 33. *&* 37. *Ruſtic. ad l. cum Auus. ff. de condit. & demon. lib.* 2. *&* 17. *n.* 26. *Lupus de illegit. to.* 3. *in præfat. n.* 150.

Sed nec etiam quo ad ſucceſſionem patris. Primo
11. quia non cõſtàt, quod emiſerit profeſſionem de anno 1580. quo Cæſar eius pater deceſsit. ſummario Actorum num. 4. quia nec teſtes aliquid dicunt de profeſsione, ſine qua non dicitur ingreſſus *c. conſulti*
12. *cum ſeq. & c. ſtatuimus de Regularibus.* Et ſi legitimatus eſſet poſt mortem patris, fœminas non excluderet *Brun. poſt alios, in Tract. Quod ſtant maſculis art.* 12. *nu.* 81. *verſ.* 5°. *limit. Gabr. conſ.* 103. *nu.* 7. *lib.* 2. *Seraph. Deciſ.* 1331. *num.* 6.

Se-

Digitized by Google

Secundo, Quia quicquid ſit, an ipſe ſit naturalis, vel ſpurius, & omiſsis in hoc opinionibus controuerſis ex hincinde allegatis, placuit Dominis con-
13. cluſio, Quod per ingreſſum Religionis, quis nō efficiatur legitimus quoad effectum ſucceſsionis. *Soccin. Iun. conſ.* 48. *nu.* 18. *&* 19. *lib.* 4. *Bero. conſ.* 163. *nu.* 29. *& ſeqq. lib.* 2. *Gulielm. de Bened. in c. Raynutius in verb. vxorem nomine Adelaſiam. parte prima nu.* 200. *Roderiq. Suar. alleg.* 25. *Couar. in Epit.* 4. *Decretal. parte.* 2. *cap.* 8. *§.* 7. *nu.* 4. Et tenuit Rota coram Cardinali Mantic. *Deciſ.* 32. *num.* 4. & tanquam illegitimus, & incapax ſucceſſionis videtur declaratus, & habitus in ceſſione quam reportauit *Bernardinus* auctor *Dominæ Comitiſſæ* Reæ conuentæ, qui concordauit cum Monaſterio pro vna vnciâ, quæ eſt debita naturalibus vigore Statuti Peruſini *lib.* 2. *Rubr.* 47.

Et ita reſolutum vtraque parte informante

Digitized by Google

R. P. D. DVRANO

In eadem. Veneris 29. Maij 1626.

DECISIO V.

ARGVMENTVM.

Diſſoluuntur pleniſſimè difficultates, quibus oppugnatur præcedens Deciſio in puncto, An remotiores vocentur ad reintegrationem nō obſtante exiſtentia proximiorum.

SVMMARIVM.

1. *Naturalis non legitimatur per ingreſſum Religionis ad effectum ſuccedendi.*
2. *Fœmina per Statutum excluſa, non poteſt reintegrari niſi ad portionem hæreditatis à qua fuit excluſa & num. 9. & 10.*
3. *Nitens Statuto, debet habere conditiones à Statuto requiſitas.*
4. *Statutum Peruſinum declaratur.*
5. *Dictio illa,* ipſæ, *eſt perſonaliſſima.*
6. *Præcedentia à ſubſequentibus declarantur.*

7. *Rein-*

Digitized by Google

7. *Reintegratio ſupponit excluſionem.*
8. *Dictio*, ad quam, *eſt relatiua ſermonis præcedentis.*
9. *Excluſio temporalis fœminarum dicitur ſuſpenſio quædam ſucceſſionis earundem, quouſque maſculus exiſtat.*
10. *Maſculus, non dicitur hæres, niſi ad tempus reſpectu illius portionis, à qua fœmina excluditur.*
11. *Reintegratio refertur ad tempus, quo fœmina fuit excluſa, non vero ad tempus, quo deficiunt maſculi & numero 15.*
12. *Leges recipiunt interpretationem ab obſeruantia ſubſecuta.*
13. *Perufia habet plures celebres Aduocatos, quorum atteſtationi Rota defert.*
14. *Verba præſentis temporis important quandoq; tempus præteritum.*
17. *Reintegratio non plus tribuit, quam abſtulerit excluſio.*
18. *Filij ſororum in ſucceſſione auunculorum repreſentant eorum matrem.*
19. *Statutum Peruſinum non tollit repreſentationem, ſed conſeruat.*

IN vtroque capite Domini ſteterunt in deciſis ſub die nonâ Iunij prçteriti. Et quo ad vltimum videlicet, quod exiſtentia *Marci Antonij filij Cæſaris* non
1. obſtet, nihil fuit in hac poſitione dubitatum, ex quo ille erat naturalis, & per ingreſſum Religionis, ad in-

 ſtar

ſtar oblationis Curiæ ad effectum ſucceſsionis non intelligebatur legitimatus, ex pluribus auctoritatibus in Deciſione adductis.

Quo verò ad primum, quod non obſtet exiſtentia *Margaritæ*, placuit iterum fundamentum deſumptum ex Statuto Peruſiæ *Rub. De Dot. & Dotat mulier. & ſucceſſ. ab inteſtat. in §. Item ſtatuimus*, reintegrante, ſeu reſtituente fœminas per priorem partem eiuſmodi Statuti excluſas earumq; deſcendentes ad ſucceſsiones, ſeu hæreditates eis per dictum Statutum ademptas.

2. Vnde cum dicta *Margarita* non poſsit dici per Statutum excluſa ab ea portione hæreditatis, in qua circumſcripto eodem Statuto non ipſa, ſed *Lucretia* de Iure ſucceſsiſſet, minuſque ea à dicta *Lucretia* excluſa deſcendat, vtique ipſa, ſicuti nullam potuiſſet prætendere reintegrationem, cum qualitatem à di-
3. cto Statuto ad hoc requiſitam non haberet *Dec. conſ. 261 n. 21. Surd. conſ. 45. n. 31. & ſeq. & conſ. 138. n. 1. cum alleg. per Brun. de Statut. excluſ. fæmin. quæſt. 6. n. 321.* Ita multo minus potuit impedire reintegrationem *DD. de Ninis & Danzettis* à dicta *Lucretia* excluſa deſcendentibus.

4. Quod autem diſpoſitio huius Statuti in dicto §. *Item ſtatuimus*, contineat admiſsionem ſeu reintegrationem tantùm fœminarum prius excluſarum, earumque deſcendentium apparet, tum ex eo quod ibi

ibi admiſsio ſeu reintegratio huiuſmodi fœminarum ſit cum hac qualitate, **remittendo, vel cedendo in hæreditate dotes habitas, vel promiſſas ipſis.** Vnde hæc pars loquitur ſolum de fœminis dotatis, quæ ſunt excluſæ per præcedentem diſpoſitionem eiuſmodi Statuti. Tum & clarius ex illis verbis ſubſequentibus. **Declarãdo, quod bona alienata per maſculos, vel aliquẽ eorum, à quibus ipſæ mulieres per ſuperexiſtentiam maſculorum fuerunt excluſæ à ſecundis poſſeſſoribus non poſſint auocari, &c.** Tum demum ex eo, quod admiſsio ſeu reintegratio huiuſmodi Statutaria non erat neceſſaria, niſi quoad perſonas, quæ ab ipſo Statuto excluſæ ſunt; nam cum de Iure admittantur, ope Statuti non egent.

Non obſtat, quod iſta reintegratio fœminarum excluſarum, earumque deſcendentium ad ſucceſſionem parentum, fratrum, & aliarum perſonarum in defectu maſculorum per lineam maſculinam deſcendentium non ſit facta ſimpliciter, ſed cum hac expreſſa limitatione, **ad quarum ſucceſſionem de iure vocantur**, & proinde

cum

Digitized by Google

cum dicta *Margarita* maſculis vltimo defunctis proximior eſſet, quàm illi *de Ninis & Danzettis* vtique ei non autem iſtis ſucceſsio de Iure delata fuerit.

Nam denuo pro reſponſione placuit intellectus, quod illa verba, *Ad quarum ſucceßionem, &c.* referantur ſolùm ad fœminas excluſas, & ad tempus ipſius excluſionis, ita vt ſenſus ſit, Quod deficientibus deſcendentibus maſculis per lineam maſculinam, Fœminæ ipſæ excluſæ ab initio vel eis tunc non exiſtētibus Filij, vel Nepotes earum ſuperſtites ſuccedant & reſtituantur ad illam eandem portionem, ad quam dictæ fœminæ ab initio vigore Statuti excluſæ de iure vocatæ erant, hæcque interpretatio ex pluribus colligitur.

Primo ex verbis ſubſequentibus eiuſdem §. *Item ſtatuimus*, ſupra relatis, à quibus ipſæ mulieres per ſuperexiſtentiam maſculorum fuerunt excluſæ, quę cũ ſint per-
5. ſonaliſsima propter illam dictionem, *ipſæ*, referuntur tantùm ad dictas fœminas, & ſic etiam ad eaſdem relata intelligi debent priora diſpoſita in eo-
6 dē §. cùm præcedentia à ſubſequentibus declarationem accipiant. *Tob. Non. conſ. 49. n. 15. cum alijs plenius cumulatis in Deciſione.*

Secundo, Quia quemadmodum illa antecedentia verba, *Poßint venire ad ſucceßionem parentum, fratrum,*

fratrum, *& aliarum perſonarum*, *&c.* non poſſunt intelligi de parentibus & fratribus proprijs ipſorum nepotum, & deſcendentium fœminarum excluſarum, cum illi ab hæreditatibus dictarum perſonarum vigore Statuti non eſſent excluſi, & per conſequens nec admiſſione ſeu reſtitutione egerint; cum
7. reſtitutio præſuponat priuationem *argumento l. 1. §. eleganter ff. de acquir. poſſ. Surd. conſ. 251. nu. 10. in fine*; ita ſanè nec dicta poſteriora verba *ad quarum ſucceſſionem* poſſunt trahi ad ſucceſſionem propriorum parentum, & fratrum dictorum deſcendentium à
8. fœminis excluſis; nam relatiuum illud *ad quarum*, non refertur niſi ad perſonas præcedentes, & ſupra comprehenſas *Bero. conſ. 66. n. 14. & 15. lib. 2. Surd. conſ. 336. n. 17. in fin. & n. 18.*

Tertio, ex eo, Quod, cùm vt ex prædictis oſtenſum eſt, diſpoſitio illius *§. Item ſtatuimus*, nihil aliud
9. contineat, quàm reintegrationem & reſtitutionem fœminarum excluſarum, & eorum deſcendentium ad hæreditatem eis per ipſum Statutum ablatam; ſequitur dicta verba, *ad quarum ſucceſſionē de iure vocantur*, referenda eſſe, ad eam ſucceſſionem, quæ dictis fœminis excluſis de tempore ipſius excluſionis de iure debita erat, vt ſic reſtitutio & reintegratio fiat ad eandem ipſam hæreditatem, & ſucceſſionem, quæ fuit illis per Statutum adempta; hæc enim fuit intentio Statuentium, vt totum id quod fœminis pro-

pter exiſtentiam maſculorum abſtulerunt, ob eorundem deficientiam illis, vel earum deſcendentibus reſtituerent, quod non contingeret ſi dicta verba *ad quarum ſucceßionem, &c.* intelligerentur de ea ſucceſſione, quæ filijs, & nepotibus ab excluſis fœminis deſcendentibus competeret inſpecto tempore deficientiæ maſculorum; tunc enim, vel propter exiſtentiam proximiorum poſſent in totum excluſi remanere; vel propter concurſum parium in gradu, non ad totam hæreditatem ablatam reſtitui.

Quarto, Quia cum hoc Statutum Peruſiæ non inducat excluſionem perpetuam fœminarum, ſed temporalem, ſeu potius quandam ſuſpenſionem ſucceſſionis earum quouſq; exſtitit maſculus *Bart. in l. fin. nu. 1. & ſeq. ff. ad S. C. Tertull. Bald. conſ. 69. ſub n. 1. verſ. in contrar. lib. 1. Thobias Non. conſ. 8. nu. 6. Eugen. conſ. 39. nu. 3. & poſt alios plures firmatum fuit in prima Deciſ. huius cauſæ, ſub die 30. Maij 1624. & in alio ſimili Statuto plene Gabriel conſ. 7. num. 5. & ſeq. lib. 2.* deficiente maſculo, fœmina admittitur, ſeu reſtituitur ad ipſam ſucceſsionem, non inſpecta proximitate de tempore mortis ipſius
10. maſculi; qui ab initio non cenſetur fuiſſe hæres in ea portione, niſi ad tempus, vt bene in puncto explicat *Bart. præcitatus in d. l. fin. ff. ad Tertull.* & ſic re-
11. integratio huiuſmodi refertur ad tempus excluſionis ipſius fœminæ, non autem ad tempus excluſionis maſculorum.

Digitized by Google

12. Poſtremo, omnis difficultas remouetur ex obſeruantiâ, quæ hoc modo ſemper interpretata eſt di-
13. ctum Statutum, vt retulerunt plures Aduocati celebres in ipſa ciuitate Peruſiæ, prout in eorum atteſtatione; cui obſeruantiæ plurimum defertur in declaratione legum, & Statutorum *l. de quibus ff. de leg. cum ſimil.*

Et his ſtantibus, non obſtat, quod dicta verba *de Iure vocantur* ſint præſentis temporis; nam ex præ-
14. tactis apparet in propoſito importare tempus præteritum *gloſ. in l. verbum oportebit ff. de verb. ſign.* Cum enim Statutum in hoc §. *Item ſtatuimus* procedens, vt pluries dictum eſt per viam reintegrationis conſiderauerit caſum ſucceſſionis hæreditatis parentum, vel fratrum fœminarum excluſarum, tanquam præſentem, non ſecus ac ſi illę nunc eis ſuccederent ſecundum Iuris diſpoſitionem, ideo congruè loquuntur per verba præſentis temporis.

15. Ex prætactis etiam ceſſant, quæ dicuntur de repreſentatione, & de attendenda proximitate grauati; quia ſtante dicta reintegratione ad tempus excluſionis, debet regulari ſucceſſio ſecundum illud tempus, non autem ſecundum præſens ex ſupradictis.

16. Et propterea Domini ſteterunt in deciſis, quoad ſolam tamen portionem ipſius *Lucretiæ Auiæ dictorum de Ninis & Danzettis*, nam alias vltra portionem dictæ *Lucretiæ* tenuerunt DD. exiſtentiam *di-*

Digitized by Google

ctæ Margaritæ quatenus probaretur eam eſſe filiam *Mineruæ* obſtare dictis *de Ninis, & Danzettis* actoribus, qui concurrere non poſſunt, nec ex perſona propria cum ſint remotiores, nec per viam dictæ re-
17. integrationis Statutariæ, cum per eam non poſſint plus obtinere, quam fuerit illis per Statutum ablatum, nec plus tribuat reſtitutio, quam abſtulerit læſio *ad trad. per Odd. de Reſtit. d. in integrum. q. 1. n. 52. Gaill. Obſeruat. 61. n. 14. lib. 2. latè Surd. conſ. 79. nu. 8. & ſeq.* Nec obſtat, quod *Minerua* mater dictæ *Margaritæ* de tempore obitus fratrum iam deceſſiſſet & dicta *Lucretia* eius ſoror ſuperſtes eſſet, quia
18. filij ſororum in ſucceſſione auunculorum repreſentant eorum matres *Auth. Ceſſante C. de Leg. hæred. Gabr. de Succeſſ. ab inteſt. Concluſ. 1. nu. 13.* quæ re-
19. preſentatio non videtur ſublata, imo conſeruata per dictum Statutum.

Et ita deciſum vtraque parte informante.

R. P.

Digitized by Google

R. P. D. PIROVANO
In eadem.
Veneris 12. Nouembris 1627.
DECISIO VI.
ARGVMENTVM.

Iterum examinatur diligentiſſimè materia præcedentium duarum Deciſionum.

SVMMARIVM.

1. *Facti ſpecies præſentis controuerſiæ.*
2. *Reintegratio differt à vocatione, ex quo illa ſupponat excluſionem, hæc non ſupponat.*
3. *Reintegratio tantum reſtituit, quantum probatur ablatum, & non plus.*
4. *Qui ſe fundit in Statuto, debet probare eius qualitatem.*
5. *Proximior in gradu, ſecundum Iuris communis determinationes in ſuccedendo præfertur remotioribus.*
6. *Expenditur difficultas Statuti Peruſini.*
7. *Fœminæ per Statutum excluſæ propter maſculos, maſcu-*

Digitized by Google

maſculis non exiſtentibus, *reſtituuntur ad portionem, à qua fuerunt excluſæ.*

8. *In Statutis ſumi debet interpretatio, ne litteræ violentur.*

9. *Tempus præſens in Statutis ſe compatitur cum præterito iuxta ſubiectam materiam.*

10. *Vnum tempus poteſt alteri ineſſe.*

STatuto Peruſino De Dotibus, & dotatis mulieribus, & ſucceſſionibus ab inteſtato *lib. 2. rubr. 45.* cauetur in 1ª. parte, Quod mulier dotata à patre vel à matre, vel alio quocumq; aſcendente, & deſcendentes ab ea, non poſſint admitti, neque reuerti ad hæreditatem dotantis, nec alterius deſcendentis ab eo in rebus à dotante prouentis, quouſque ſuperuixerit maſculus deſcendens à perſona dotante per lineam maſculinam. in alia vero particula eiuſdem Statuti incipiente. *Item ſtatuimus* diſponitur, Quod fœminæ, & illis non exiſtentibus earum filij, & nepotes quandocumque concepti, vel nati, poſsint venire ad ſucceſsionem parentum, fratrum, & aliarum perſonarum, ad quarum ſucceſsionem, de Iure vocantur, ſi deſcendentes per lineam maſculinam, maſculi non ſuperſint, remittendo tamen, vel cedendo dotes habitas.

1. Contigit *Bernardinum Anſideum* deceſsiſſe de anno 1537. relictis poſt ſe *Hannibale*, qui deceſsit de anno 1586. relicto *Bernardino iuniore* mortuo anno

1621.

1621. *Cæſare* mortuo de anno 1580. relicto *Marco Antonio* naturali Profeſſo, *Conſtantino* mortuo de anno 1590. *Lucretia* mortua de anno 1597. relictis ex *Theſeo* filio, defuncto anno 1591. & *Conſtantia* filia, prædefuncta anno 1593. *Ninis* & *Danzettis*, ac demùm *Minerua*, quę deceſsit anno 1573. relicta *Margarita* Profeſſa, & defuncta anno 1621. Vnde cùm prætenderetur factum eſſe locum Statuto prædicto ob mortem *Bernardini iunioris* de anno 1621. qui fuit vltimus maſculus ex linea diſcenſiua *Bernardini ſenioris*, *Nini* & *Danzettæ* nepotes *Lucretiæ* ex *Theſeo*, & *Conſtantia*, ac reſpectiuè filij petierunt reintegrari ad hæreditatem, ſeu hæreditates delatas *Lucretiæ* eorum Auiæ reſpectu *Bernardini* Proaui, & *Cæſaris* ac *Conſtantini* eiuſdem *Lucretiæ* fratrum:& articulo diſcuſſo 31. *Maij* 1624. & iterum 14. *Aprilis* 1625. firmatum fuit *coram bo. mem. Buratto tunc huius cauſæ Ponente*, factum eſſe locum Statuto prædicto ad fauorem Actorum in bonis *Bernardini* Proaui, & *Cæſaris* ac *Conſtantini*; reſeruato tamē videre, An Statutum ceſſaret propter exiſtentiam *Margaritæ* filiæ *Mineruæ* & *Marci Antonij* naturalis filij *Cæſaris*. Parte autem reſeruata diſputata, nec etiam obſtare fuit reſponſum 9. *Iunij* 1625. & iterum 29. *Maij* 1626. cæterum Reis non acquieſcentibus, placuit Dominis nouam concedere audientiam ſuper poſtremis Deciſionibus reſpectu *Margaritæ*. & cauſa poſita cen-
ſuerunt

Digitized by Google

ſuerunt ſtandum eſſe in deciſis ex ijſdem rationibus & fundamentis. nam cùm Statuti verba ſint clara in §. *Item ſtatuimus*, vbi Fœminæ, & illis non exiſtentibus earum filij vel nepotes quandocumque concepti, vel nati poſſunt venire ad ſucceſsionem parentum, fratrum, & aliarum perſonarum ad quarum ſucceſsionem de iure vocantur, ſi deſcendentes per lineam maſculinam non ſuperſint; certa eſt atque indubitata iſtorum deſcendentium vocatio, quæ per aliorum tranſuerſalium exiſtentiam impediri non poteſt, ex deductis in primis Deciſionibus & expreſsè reſponderunt *Honded. conſ.* 16. *n.* 12. *lib.* 1. *conſ.* 14. *n.* 69. *lib.* 2. *Gabr. conſ.* 14. *n.* 8. *&* 42. *& n.* 47. *lib.* 2. Præterea ſi *Margarita* tanquã filia *Mineruæ* & proximior in gradu cum *Bernardino*, & *Cæſare*, ac *Con-*
2. *ſtantino* intendit ſuccedere ex propria perſona, Statutum illi deſeruire non poteſt niſi in portione *Mineruæ* ſuæ matris, in qua poſſet contingere excluſio, nõ autem in portione *Lucretiæ* ſororis, à qua non fuit excluſa; aliàs non eſſet reintegratio, ſed noua vocatio, quam non intendit facere Statutum, & de dire-
3. cto contradiceret naturæ reintegrationis, quæ tantum reſtituit, quantum probatur ablatum, & non amplius. *l.* 1. §. *eleganter ff. de acquir. poſſ. Odd. de Reſt. in integr. p*^e^. *p*^a^. *q.* 1. *n.* 45. *Gaill. Obſer.* 61. *nu.* 15, *lib.* 2. *Surd. conſ.* 79. *n.* 8. Propterea Rota in Deciſione 29. Maij 1626. quæ eſt vltima in hac cauſa reſtrinxit

ſtrinxit reſolutionem reſpectu illorum *de Ninis* & *Danzettis* quoad portionem *Lucretiæ* eorum Auiæ, in qua cadebat effectus reintegrationis; & quoad portionem *Mineruæ* denegauerat ſucceſſioné, poſt-
4. quam ab ea non fuerat excluſa *Lucretia*, nec per conſequens concurrebat qualitas Statuti neceſſaria probanda ab eo, qui in eo ſe fundat *Decius conſ.* 261. *nu.* 2. *Surd. conſ.* 45. *nu.* 31. *& conſ.* 138. *nu. primo.*

Non obſtat principalis difficultas, & quæ ſemper fuit oppoſita, Quod in præſenti, ſiue agatur de ſuccedendo *Bernardino Iuniori* vltimo maſculo de linea *Bernardini ſenioris*, ſiue eidem *Bernardino ſeniori*, *Cæſari*, *&* *Conſtantino* ex perſona tamen propria ipſorum Actorum, Quod ex verbis eiuſdem Statuti ibi *Ad quarum ſucceſſionem de Iure vocantur*, *ſi deſcendentes per lineam maſculinam maſculini non ſuperſint*, ſucceſſio ſit deferenda *Margaritæ*, quę vtique
5. gradui proximior eſt, & per conſequens alijs præferéda ſecundum Iuris communis determinationem, *Auth. Poſt fratres, fratrumq́ filios C. de legitim. Hæred.* §. *his etenim* §. *ſi plures Inſtit. de legitima agnat. ſucceſſ. Decius conſ.* 23. *num. primo Surd. conſ.* 125. *nu.* 31. *& ſeq. Honded. conſ.* 4. *nu.* 12. *lib. primo.*

Quia retentis concluſionibus firmatis in Deciſ. 31. Maij 1624. & 14. Aprilis 1625. quando fuit diſputatus articulus, An eſſet locus Statuto prædicto ad fauorem Actorum, cum quibus præſens reuidetur,

6. nempè quod Statutum reintegrat fœminas ad portionem à qua fuerant excluſæ, maſculis deſcendentibus non exiſtentibus, & eorum filios & nepotes quamuis poſtea conceptos & natos; hoc in caſu non poteſt eſſe quęſtio de prælatione proximiorum collateralium ſecundum iuris diſpoſitionem, ſed de illis tantum, qui ſunt in linea diſcenſiua fœminarum excluſarum, quibus tantummodo conuenit terminus reintegrationis per excluſionem matris, non autem alijs tranſuerſalibus *can.*1.3.*q. prima. Pariſ. conſ.* 105.*num.* 2. *&* 3. *lib.* 3. *Capra conſ.* 39. *&* 76. *nu.* 8. *Tiraq. de Retract. conſang.* §. 32. *gloſſ. vnica nu.* 69. propterea Deciſiones vltimæ quæ reuidentur bene reſpondent, quod verba illa *ad quarum ſucceſſionem de Iure vocantur*, referri debeant ad actiuam ſucceſſionem fœminæ excluſæ, & ad tempus eius ex-
7. cluſionis, ita vt ſenſus ſit, Quod deficientibus maſculis per lineam maſculinam deſcendentibus, fœminæ ab initio excluſæ, vel eis non exiſtentibus filij, vel nepotes earum ſuperſtites ſuccedant, & reſtituantur ad illam eandem portionem, ad quam dictæ fœminæ ab initio vigore Statuti excluſæ de Iure vocatæ erant.

Non obſtat, quod ſi retineatur huiuſmodi ſenſus repugnet verbum *vocantur*, quod eſt pręſentis temporis, vnde dicebatur vocationem eſſe ſumendum de tempore quo hæreditas defertur, & ſic in die obi-

tus

tus vltimi maſculi, de quo tempore *Margarita* eſt
8. proximior de Iure; alias debuiſſet dicere *vocabantur vel vocatæ fuerant* ad euitandam violationem litteræ in Statutis *Bal. conſ.* 339. *in princip. lib. primo Angel. conſ.* 226. *in fine & 338. in principio.*

9. Quia, vltra quod in Iure tempus præſens ſe compatitur cum præterito attenta ſubiecta materia *L. verbum* 123. *verſ. quemadmodum, & ibi gloſſa verſ. ſed ad præteritum ff. de verb. ſignific.* & quæ materia hic eſt proportionabilis, propter effectum reintegra-
10. tionis, per quem efficitur, vt vnũ tempus inſit alteri *can. ſi Paulus vbi gloſſ. in verb. ſede* 32. *q.* 5. *Alciat. in dicta L. verbum nu.* 2. *ff. de verb. ſignific.* fuit reſponſum, ſi etiam ageretur de ſuccedẽdo prout non, quæſtio proximioritatis eſſet attendenda inter deſcendentes fœminarum excluſarum; non autem ſimultanee cum alijs tranſuerſalibus, quibus non conuenit prouiſio Statuti iam declarata pro Actoribus in primis Deciſionibus. Quibus ſuppoſitis diſputatur præſens dubium de obſtantia exiſtentiæ *Margaritæ*; atque ita deſcendentes *Mineruæ* nunquam poſſunt impedire ſucceſſionem deſcendentibus excluſarum, per Statutum conſeruatam, vti illis alienam, & impertinentem. Et ita, &c.

Digitized by Google

R. P. D. PIROVANO

In eadem.

Veneris 29. Maij 1628.

DECISIO VII.

ARGVMENTVM.

Poſſeſſio bonorum & eorundem identitas ex quibus probetur.

SVMMARIVM.

1. *Fœminis debetur ſucceſſio in bonis parentum & fratrum, iure hæreditario, ſublato Statutorum impedimento.*
2. *Interdictum* (Quorum bonorum) *ijs conceditur qui iure hæreditario ad ſucceſſionem vocantur.*
3. *Teſtis depoſitio quo ad poſſeſſionem probandam dicitur concludens, ſi reddatur per rationem poſſeſſioni conuenientem.*
4. *Poſſeſſio quomodo probetur.*
5. *Identitas bonorum quomodo probetur.*
6. *Continuata, & ſucceſſiua poſſeſſio probat identitatem.*

Fir-

FIrmato prius in hac cauſa, Factum eſſe locum Statuto Peruſino reintegranti fœminas ceſſantibus maſculis, quorum contemplatione ab initio fuerunt excluſæ à ſucceſſione Parentum, & fratrum; Dubitatum fuit *an DD. de Ninis, & Danzettis* ſit danda immiſſio, & ad quæ bona.

1. Et quo ad Immiſſionem, dixerunt Domini eſſe dandam, quia circumſcripto Statuti impedimento fœminis debetur ſucceſſio in bonis parentum, & fratrum Iure hæreditario, & ab inteſtato *Hond. conſ.*
2. *16. nu. 34. lib. primo, & conſ. 14. num. 2. lib. 2.* pro qua competit remedium, Quorum bonorum *l. 2. C. Quorum bonorum Decius conſ. 424. nu. 10. latiſſimè Menoch. comprobans De Adipiſc. remed. 1. nu. 33. Rota Deciſ. 115. nu. primo, Parte prima Recent.*

Pro quibus autem bonis, Dictum fuit immiſſionem eſſe dandam ad bona petita; nempe *Domum Peruſiæ, Prædium Pontis vallis Cipporum, Domum, & Prædiũ Caſtri Diruti, Prædium ſancti Gilij, Prædium Caſtri Ripæ, Prædium & alia Bona Caſtri Montis Bagnoli, Bona in pertinentiis Caſtri Pilonici, Prædium*
3. *Villæ Sanctæ Mariæ de Pitignano,* Quia de prætactis deponunt teſtes dati, & quidem concludenter per rationes poſſeſsioni conuenientes, ſitum & confines narrantes, & à primis poſſeſſoribus vſque ad *Comitiſſam Iſabellam* hodie bonorum prætactorum detentricem, poſſeſsionem probantes; nempe incipientes

à *Cæſare, Hannibale, & Conſtantino fratribus Lucretiæ*, *à qua Nini*, *& Danzetti* iura ſua deſumunt, mortuo autẽ *Cæſare ab Hannibale, & Conſtantino*; defuncto poſtmodũ *Hannibale* ab eodem *Conſtantino*, *& Bernardino Hannibalis filio*, & poſt obitũ *Conſtantini* ab ipſo *Bernardino*, demũ ab ipſa *Iſabella Comitiſſa*.
4. nam habitare, locare, fructus, & penſiones percipere, vt dicunt teſtes dati, hæc omnia pertinent ad vſum rei, in quo conſiſtit poſſeſsio *Angel. in l. Celſus nu. 4. & ibidem Bart. n. x. ff. de vſucap. Rimin. iunior conſ. 226. n. 9. vol. 2. Menoch. de Retin. remed. tertio nu. 563. & ſeq. & idem fuit firmatum in Alban. Confin.*
5. *22. Iunij 1620. coram me* Bonorum Identitas probatur ex confinibus duobus per dictos teſtes aſsignatis in vno quoque corpore Bonorum *Bart. in l. demonſtratio falſa, num. 14. ff. de cond. & demonſtrat. Crauett. conſ. 112. nu. 3. & conſ. 198. num. 2. Natt. conſ. 235. nu. 15. Surd. conſ. 44. nu. 20. & latiſsimè fuit firmatum in Romana Deuolutionis domus 14. No-*
6. *uembris 1625. coram me*, & demum concurrit continuata & ſucceſsiua poſſeſsio, quæ minori indiget probatione *Peregri. de Fideicom. articul. 44. num. 19. & 20. Menoch. præſumpt 15. num. 34. lib. 6. & in Bononien. Fideicom. de Mangiolis 31. Martij 1623. coram me idem fuit dictum*: nec viſum fuit neceſſarium intrare quæſtionem, pro qua quota ſit danda immiſsio; quia cum numerus ſuccedentium ſit certus

tus

Digitized by Google

tus; nempe *Cæſar, Hannibal, Conſtantinus, Lucretia, Minerua, ſeu Margarita* eius filia; mortuo *Cæſare*, intrant pro quarta; mortuo *Conſtantino* intrant pro tertia parte: atque ita nulla cadit hæſitatio reſpectu portionum ad quas *Domini de Ninis, & Danzettis* iuxta formam Deciſionum ſunt admittendi. Et ita, &c.

De-



Digitized by Google

DECISIONES DVÆ

In præcedentibus laudatæ.

R. P. D. PENIA.

Peruſina Reintegrationis.

Lunæ 6. Nouembris 1595.

ARGVMENTVM.

An fœmina per Statutum excluſa, poſſit, natis filijs ex illis, à quibus fuit excluſa, & poſtea extincta totaliter linea maſculina, ad ſucceſſionem reintegrari.

SVMMARIVM.

1. *Statutum Peruſinum in puncto controuerſo inuolutum & intricatum.*
2. *Quæ dicatur excluſio fœminarum temporalis & ſuſpenſiua, & quæ perpetua. & nu.* 13.
3. *Dictio* donec, quouſque, *& ſimiles dicuntur ſignificare temporis ſuſpenſionem ſine limitatione.*
4. *Vbi non extant excludentes, fœminæ permittuntur petere, & ſuccedere.*

5. *Fœmi-*

Digitized by Google

5. *Fœmina, ſemel ſimpliciter excluſa, ſemper cenſetur excluſa.*

6. *Sequentia debent referri ad præcedentia, vbi ſubiecta materia patitur, & numero 7.*

8. *Statutum ſuſpenſiuum, dicitur æquius, quam perpetuo excluſiuum.*

9. *Statutum generaliter loquens, debet & generaliter interpretari.*

10. *Verbum* deſcendentes, *comprehendit omnes deſcendentes in infinitum.*

11. *Reintegratio intelligitur ad quotas, à quibus proceſſit excluſio.*

12. *In excluſione fœminarum habetur ratio fauoris maſculorum.*

14. *Deficientibus maſculis dicitur remoueri obſtaculum impeditiuum ſucceſſionis fœminarum.*

15. *Dominia rerum non debent manere diu in ſuſpenſo. declara vt ibi.*

PRæſuppoſito Statuto Peruſino *lib. 2. rub. 45. De Dot. & Dotat. mulieribus, & ſucceſſ. ab Inteſtato,* Dubitaui, An fœmina iuxta diſpoſitionẽ Statuti ſemel excluſa, poſſit natis filijs ex illis, à quibus fuit excluſa, extincta totaliter linea maſculina, reintegrari.

Dubitationi cauſam dederat *Illuſtris Dª. Alphonſina Belleona*, quæ petebat pro ſua portione reintegrari ad bona quondam *Gentilis* ſui patris, qui deceſſerat

 relictis

relictis ſex filijs, duobus maſculis *Hadriano & Aſtore*, & quatuor fœminis *Alphonſina Pantha, Leonora, & Conſtantia*. Cum enim ex *Aſtore* natus eſſet *Guido*, *& ex Guidone Aſtor Iunior* ac primum *Guido* deinde *Aſtor* in pupillari ætate deceſſiſſent ſuperſtitibuſque Matre & Auia; prætendebat dicta *Alphonſina* vigore dicti Statuti excludentis fœminas, donec maſculi, & deſcendentes ab ijs per lineam maſculinam extent, ſibi deberi reintegrationem; quia omnis linea, & ſucceſſio maſculina *Gentilis* patris cum *Aſtore Iuniore* extincta fuit, Cæterum quoniam ex aduerſo dicebatur *D. Alphonſinam* non eſſe reintegrandam, ex eo, quod ab hæreditate paterna fuerat excluſa, *ab Aſtore, & Hadriano* fratribus, qui obierãt ſuperſtitibus *Guidone, & Aſtore iuniore*, & omnes qui ad hoc Iudicium venerant nitebantur prædicto Statuto, ideo difficultas fuit reſtricta ad prætactum du-
1. bium. Quo propoſito die 2, & 9. & 27. Iunij præſentis anni non potuit capi reſolutio; nam cum Statutum ſit ſatis inuolutum, & intricatum Domini non facilè conueniebant circa illius intelligentiam. Denique partibus informantibus iterum cauſa propoſita, & per Dominos diligenter diſcuſſa, in ſententiam affirmatiuam itum eſt; nempe, Fœminam vigore dicti Statuti poſſe reintegrari ad portionem, à qua fuit excluſa, etiam natis filijs ab illis, qui ipſam excluſerunt, ſi ipſi poſtea obierint ſine deſcendenti-
bus

bus maſculis, & conſequenter *D. Alphonſinam* reintegrandam, non obſtante quod poſt *Aſtorem*, *&* *Hadrianum*, qui ipſam excluſerant, *Guido*, *&* *Aſtor iunior* remanſiſſent.

2. Ratio potiſſima fuit, quia ex tenore Statuti apparebat excluſionem fœminarum à Statuentibus inductam non fuiſſe perpetuam, ſed temporalem, & ſuſpenſiuam, donec maſculi ſupereſſent: nam diſcurrendo per tres caſus quos Statutum diſtinctè ponere videbatur, in ſingulis reperiebãtur dictiones ſignificantes temporis ſuſpenſionem, ſine limitatione, quales ſunt *donec quouſque*, & ſimiles. *Alex. & P. de Caſtr. in l. 1. C. de leg. Capr. conſ. 112. n. 3. Thobias*
3. *Non. conſ. 12. nu. 14.* Nam in primo, qui ponitur in principio Statuti, dicitur *Quouſque ſuperuixerit maſculus deſcendens ab ipſa perſona dotante per lineam maſculinam.*

In ſecundo item caſu, *ibi, & ſimiliter ſi plures*, dum Statutum excludit fœminas à ſucceſſione fratrum, non inducit ſimplicem & abſolutam excluſionem, ſed ſuſpenſiuam, dicit enim. *Non poßit talis mulier reuerti ad hæreditatem alicuius ex fratribus quouſque ſuperuixerit aliquis frater, vel aliquis maſculus deſcendens per lineam maſculinam ex dictis fratribus.*

Et in dictis caſibus nulla eſt dubitatio, quin
4. deficientibus illis, qui fœminas excludunt, fiat locus earum reintegrationi; nam quando non extant tales

 exclu-

excludentes, Statutum permittit eas poſſe petere, & ſuccedere *l. cum lex ff. de legibus, l. cum prætor. ff. de Iudic. Bart. in l. fin. §. vlt. q. prima ff. ad S. Ctum. Tertull. Bald. in cap. primo §. quando etiam, num. 3. verſ. ſecus ſi ſtatutum ſit. Epiſcopum, vel Abbatem in vſibus Feud. Anchar. conſ. 120. num. 2. Aret. conſ. 143. n. 1. Corn. conſ. 160. n. 8. lib. 4. Soc. conſ. 92. n. 13. l. 1.*

Tertius caſus eſt *in §. Item ſi aliquis pater*, in quo informantes in hoc erant conformes, quod ſub iſto §. propoſita facti ſpecies conſideretur. diſponit enim, quod quando ſoror fuit dotata à fratribus de bonis communis patris prædefuncti, tunc remaneat excluſa: ſed in hoc diſcordabant, quia informantes contra *D. Alphonſinam*, licet faterentur eam non fuiſſe dotatam à fratribus de bonis eorum proprijs, ſed de bonis *Gentilis* eorum patris ab inteſtato de-
5. functi, prætendebant tamen illam fuiſſe per Statutum non temporaliter, ſed ſimpliciter excluſam, & conſequenter locũ fore regulæ contra ipſam, Quod fœmina ſemel excluſa ſemper cenſeatur excluſa *Bart. in l. fin. §. quando ff. ad Tertull. Bald. in d. cap. primo §. quin. eod. Tit. Epiſcopum, vel Abbatem, & reliqui congeſti per Gabri. lib. 6. comm. concluſ. tit. de Statut. concluſ. 4. num. primo.*

Sed placuit Dominis contraria ſententia defenſa per informantes pro *D. Alphonſina*, vt ſcilicet iſte §. foret, quoad excluſionem attinet, temporaliter, & ſuſpen-

Digitized by Google

ſuſpenſiuè intelligendus; præſertim cum verba non repugnarent, imò verò talia adeſſent, quæ eandem temporalem excluſionem, quam in præcedentibus caſibus fecerāt Statuentes, ſignificare viderentur, *ibi Ex tūc excludatur à ſucceſſione prætactorum patris, & Aui, & aliarum perſonarum de quibus & prout ſupradictum eſt.*

6. Iſta enim verba, *& prout ſupradictum eſt*, non erant referenda ad §. *primum* dicti Statuti, in quo, quando filiæ ſunt dotatæ à patre, vel alio aſcendente, fortaſſis poſſet dubitari, an inducatur excluſio ſimplex; quia non verſabamur in dote tradita à patre, de qua loquitur d. §. 1. ſed in dote data à fratribus de bonis patris, de quibus loquitur §. *Item ſtatuimus*, quo diſponitur, quod fœminæ poſſint venire ad hæreditatem patris, & aliarum perſonarum, ad quarum ſucceſſionem de Iure vocabantur, ſi deſcendentes per lineam maſculinam, non ſuperſint; dummodo remittant, vel cedant dotes habitas, vel promiſſas in hæreditate; & cum Statutum non faciat diſtinctionem de cuius bonis dotatæ ſint à fratribus, an de bonis proprijs, an de bonis paternis intrat *l. cū lex ff. de teſtam. l. prima ff. de leg. præſtan.* & conſequenter cum §. 1. de cuius intellectu, vt ſupra dixi,

7. poſſet dubitari, videatur loqui in dotata à patre, & §. *Item ſtatuimus* inducens excluſionē ſuſpenſiuam, loquatur in dotata à fratre de bonis paternis, iſta

 verba

Digitized by Google

verba relatiua, *prout dictum eſt*, poſita in hoc §. continente excluſionem dotatæ à fratre de bonis paternis debent referri *ad §. item ſtatuimus*, præſertim cum Regulæ, quibus relationes ad præcedentia referri ſolent, non obſtarent *l. 4ª. vbi latè Iaſ. poſt alios C. de Lib. præterit. Abbas. Dec. & alij in c. ſecundo requiris num.* 10. *de. appell. Bart. in l. talis ſcriptura §. fin. ff. de leg.* 1. *Roman. conſ.* 480. *nu.* 7. *Decius. conſ.* 11. *n.* 13. ſunt enim talia verba relatiua, & repetitiua præcedentium qualitatum *Bart. in l. prima §. hoc edictum ff. de postul. Ceph. conſ.* 269. *num.* 47. *& ſeq. lib.* 2. *Pariſ. conſ.* 71. *nu.* 7. *lib.* 3.

8. Quibus accedebat natura, & qualitas Statuti ſuſpenſiui, quod putatur æquius, & benignius, quam Statutum perpetuo excluſiuum, quod eſt malignæ naturæ. *Iaſon, & Dec. in l. ſi Ruffinus C. qui teſtamentum facere poſſint, Cephal. conſ.* 409. *nu.* 26. *& ſeq. lib.* 3. & eo maxime quia vt dicit *Put. Deciſ.* 197. *lib.* 2. *In cauſa Peruſina*, loquens in terminis huius Statuti, *n.* 5. *verſ. & ſic non veniebat* in hac materia excluſionis odioſa non proceditur iuxta ſtrictas regulas.

Et propterea non placuit Dominis alius intellectus datus per informantes cõtra *Dominam Alphonſinam* videlicet quod *in §. item ſtatuimus* fœminæ reintegrãtur deficientibus illis maſculis, qui fœminam
9. excluſerant, & non alijs deſcendentibus, quia Statutum non facit iſtam diſtinctionem, & cum generaliter

liter loquatur, generaliter venit intelligendum;præſertim cum non daretur ratio ſufficiens differentiæ,
10. quare ſi fœmina ſit excluſa à fratre, reintegretur illo deficiente; ſecus verò, ſi poſt fratrem decedat illius filius:quinimo cum Statutum loquatur per verbum deſcendentes, quod eſt aptum comprehendere omnes in infinitum deſcendentes *l. fin. C. de ſuis, & legit. hæred. Alex. conſ.* 106. *num.* 2. *lib. ſecundo Pariſ. conſ.* 4. *nu.* 30. *lib.* 3. non poterat reſtringi ad ſolos fratres primo loco excludentes.

11. Quod autem dicebatur, Statutum procedere nõ poſſe, quando extat perſona, quæ ab initio excluderet fœminam, quæ vult reintegrari id DD. concedebant; ſed dicebant referendum ad perſonam illam, ad cuius ſucceſſionem petitur reintegratio, non autem ad vltimo decedentẽ; quia de illius ſucceſſione non agitur, ſed de portione illius primi, à cuius bonis excluſa fuit per maſculos, à qua non excluderetur per perſonas ſuccedentes ab inteſtato vltimo morienti maſculo.

Neque obſtabat, quod cum Statutum non diceret quod fœminæ ſuccederent, nonobſtantibus maſculis, ideo non poſſit ſumi argumentum à contrario ſenſu, quod ſcilicet ſint reintegrandæ *Decius conſ.* 364. *num. ſecundo.*

12. Quia reſpondebatur vti per *Put. d. Deciſ.* 197. cum enim fauor maſculorum ſit cauſa excluſionis illis

illis deficientibus ceſſat cauſſa, & ſubintrat reintegratio, vt in terminis Statuti Senen. *tenuit Rota apud Put. Deciſ.* 143. *incip. in vna Senen. lib.* 2. *per Conſ.* 10. *Soccin. lib.* 3.

13. *Ad Conſ. Pariſ* 85. *num.* 4. *& ſeq. lib.* 2. facilè occurrebat reſponſio, ex eo quod illo caſu excluſio fœminarum per maſculos erat ſimplex, & perpetua, & abſque dictionibus ſignificantibus temporalitatem, aut ſuſpenſionem; neque ibi aderat excluſio, vt in caſu præpoſito, propter deſcendentes maſculos ex linea maſculina; ita vt illis ceſſantibus, eſſet locus reintegrationi, & ideo mirandum non erat, ſi mortuo filio relictis filijs, expirabat conditio, ſub qua fœmina reintegrabatur, *iuxta conſ. Oldrand.* 21. in hoc autem themate, non filij tantum ſunt poſiti in conditione, vt ſit locus reintegrationi; ſed omnes deſcendentes; vt merito dicendum foret, tunc reintegrationem habere locum, quando omnes defecerũt; quia; vt ait *Bald. in c.* 1. *§. cum etiam. nu.* 3. *verſ. ſecus ſi ſtatutum ſit. Epiſc. vel Abb. in vſib. feud.* Filia fœ-
14. mina ob tale Statutum ſuſpenſiuum non ſuccedit, & ſtante maſculo eſt ſuſpenſa à ſucceſſione patris; mortuo tamen maſculo remouetur obſtaculum, & ſuccedit patri pro ſua portione. Similiter dicebatur non obſtare *Conſ. Ruyn.* 38. *nu.* 3. *& conſ.* 46. *nu.* 7. *lib.* 3. quia præterquam quod eius opinio non videbatur recepta, vt per *Soc. d. conſ.* 10. *lib.* 3. loque-

batur

batur in alio articulo, an ſcilicet deſcendentes ex fœmina mortuis maſculis reintegrarentur, ex quo non erant concepti tempore mortis Aui, quæ dubitatio ceſſabat in hac cauſa; quia Statutum Peruſinum *in §. item ſtatuimus quod fœminæ* expreſsè vocat fœminas, earum filios, & nepotes quandocunque conceptos; & in præſenti articulo, non erat locus dubitationi, cum *Domina Alphonſina* nunc viuens, quæ petebat reintegrationem pro ſua portione ad paternam hæreditatem, fuiſſet nata, & concepta, viuente *Gentile eius patre*.

15. **Poſtremò, non obſtabat abſurdum conſideratum per informantes contra *D. Alphonſinam*, quod ſi reintegratio prædicto modo poſt multas ſucceſſiones maſculorum foret habitura locum, Dominium rerum diu maneret in ſuſpenſo, quod Iura odio habuiſſe videntur**: quoniam reſpondetur, omnem incertitudinem ceſſare, ex quo à patre transfertur in maſculos deſcendentes per lineam maſculinam, & illis deficientibus defertur ad fœminas vigore Statuti vocatas.

Quibus, &c.

Digitized by Google

R. P. D. MANZANEDO.

Peruſina Reintegrationis.

Lunæ prima Iulij 1613.

ARGVMENTVM.

Statutum excludẽs fœminas quouſque maſculi extabunt, non verificatur in momento temporis, ſed requirit perſeuerantiam maſculorum, quibus deficientibus ſucceſſio reuertitur ad fœminas.

Eſt Dec. 475. p. 2. Recent.

SVMMARIVM.

Dictio quouſque *in Statuto fœminarum excluſiuo propter maſculos, operatur eandem excluſionem ad tempus, id eſt quamdiu maſculi extabunt. num.* 1.

Permiſſum ad tempus, facit poſt tẽpus eſſe prohibitum, & è contra. num. 1.

Statutum excludens fœminas quouſque maſculi extabunt, non verificatur in momento temporis. num. 2.

PRopoſito dubio, An *Moniales Monaſteriorum Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Peruſia, & Sancti Bernardini de Viterbio*, ſint reintegrandæ ad bona paterna,

Digitized by Google

paterna,& materna quondam *Ioannis Antonij Vibij*, & *Leontiæ coniugum de Peruſia* mediantibus perſonis *Euſebiæ*, & *Giſmeniæ ſuarum filiarum*, & poſtea Monialiũ in dictis Monaſterijs. Domini in affirmitiuam ſententiam venerunt. Nam cũ ex prædictis coniugibus remanſerint filij maſculi *Vincentius*, *Cæſar*, *Fabricius*, *Mutius*, & *Camillus*, & fœminæ prædictæ *Euſebia*, & *Giſmenia*, & ex iſtis omnes deceſſerint ſine liberis, & ſic maſculi non extent. Vnde prædicta Monaſteria ex perſona *DD. Euſebiæ*, & *Giſmeniæ* intentarunt dictam reintegrationẽ ad prædicta bona paterna, & materna vigore *Statuti Peruſiæ*, quod excludit fœminas à ſucceſſione parentum propter exiſtentiam maſculorum, quouſque maſculi extent, illis vero deficientibus, fœminas reintegrari vult. Quod Statutum ad fauorem dictorum Monaſteriorum pro dicta reintegratione bene intrare viſum fuit, cùm prædicti omnes maſculi defecerint, & Statutum non in perpetuum fœminas excludat, ſed ad

1. tempus; nempe quouſque maſculi extabunt, quod operatur illa dictio *quouſque*, vt notat *Bar. in l. final. §. quando num. 1. ff. ad Tertull. per tex. in l. 1. §. finali. ff. de vent. in poß. mitten. & in l. ſiue §. tamdiu. de condict. furtiua* Et facit, quia permiſſum ad tempus, intelligitur poſt tempus prohibitum, & è contra *l. Imperatores. ff. de poſtuland. l. ſtatuliber à ceteris. ff. de ſtat. homin.*

2. Ex quibus talia Statuta ſic intelligenda dixit Bar. vbi ſupra affirmando, quod iſta eſt veritas, & *Bal. in l. quibus n.* 3. *C. de ſecund. nupt. & Anc. in conſil.* 120. *num.* 2. *& Capr. aliis relatis conſ.* 71. *per totum*, *& Franc. Aretin. hanc dicens communem, in conſ.* 144. & plurimos pro hac ſententia congerit *Albert. Brun. de Statut. exclud. fœmin. art.* 10. *num.* 67. *&* 68. *& ſeq. & vt Bal. vbi ſupra* notat, illud Statutum loquitur per verba, quæ non poſſunt verificari momento temporis, ſed quæ requirunt perſeuerantiam liberorum, ad hoc vt fœminæ excludantur, quo caſu potius eſt quædam temporalis ſuſpenſio, quam præciſa excluſio: & ideo ceſſante dicta tẽporali ſuſpenſione per deficientiam maſculorum, ſucceſſio redit ad fœminas temporaliter tantummodo excluſas, & quovſque maſculi extent, argumento *textus in Authent. De Non eligend. ſecundo nubent.* §. *Gregoria. & in Auth. de Nupt.* §. *quoniam infirma.* & in terminis iſtiuſmet *Statuti Peruſiæ* illud ita intelligendum reſoluit *Rota coram bonæ memoriæ Penia in vna Peruſina Reintegrationis.* 6. *Nouembris* 1595. Ex quibus ita reſolutum fuit.

INDEX

INDEX RERVM,
ET
MATERIARVM,

Quæ in hoc Opuſculo continentur, quorum numerus prior Deciſionem ſignificat, ſecundus numerum Summariorum.

A.

ACTVS, ſi ſint proportionabiles filiationi conferunt ad illius probationem, Deciſ. prima, num. 8.
Aſſerenti ſe Archiuiſtam, creditur de ſtilo Rotæ. 1. 12.

B.

Bonorum identitas, quomodo probetur. 7. 5.

C.

Collatio in matrimonium, & Conſtitutio dotis, referuntur ad filias, & deſcendentes ſecundum communiter accidentia. 1. 9.
Continuata, & ſucceſsiua poſſeſsio probat identitatem. 7. 6.

D.

Dictio (IPSAE) eſt perſonaliſsima. 4. 4. & 5. 5.
Dictio, AD QVAM, eſt relatiua ſermonis præcedentis. 5. 8.
Dictiones præſentis temporis important quandoque tempus præteritum. 5. 14.
Dictio, QVOVSQVE, in Statuto excluſiuo fœminarum propter maſculos operatur earundem excluſionem ad tempus, id eſt, quamdiu maſculi extabunt. car. 59. num. 1.
Grauatus, non poteſt diſponere de bonis reſtitutioni ſubiectis, in præiudicium vocati à lege, vel à teſtatore. 3. 4.
Dominia rerum non debent manere diu in ſuſpenſo. car. 57. n. 15.
Dictio, DONEC, QVOVSQVE, & ſimiles dicuntur ſignificare temporis ſuſpenſionem, ſine limitatione. car. 51. n. 3.

Dotis ſolutio probatur per confeſsionem de recepto ſtante promiſsione. 1. 10.

E.

Excluſio temporalis fœminarum à ſucceſsione dicitur quædam ſuſpenſio. 2. 1. & 5. 9.

Cauſa excluſionis fœminarum à ſucceſsione eſt fauor maſculorum ſuperſtitum. 3. 10.

In excluſione fœminarum, habetur ratio fauoris maſculorum. car. 55. num. 12.

Quæ dicatur excluſio temporalis,& quæ perpetua. car. 50. nu. 2.& car. 56. num. 13.

Vbi non extant excludentes, fœminæ permittuntur petere,& ſuccedere. car. 51. num. 4.

F.

Fœminæ habent ſuam intentionem fundatam in ſucceſsione parentum. 2. 7.

Fœminis debetur ſucceſsio in bonis parentum & fratrum iure hæreditario ſublato Statutorum impedimento. 7. 1.

Fœmina per Statutum excluſa non poteſt reintegrari, niſi ad portionem hæreditatis à qua fuit excluſa. 5. 2. & 9. & 10.

Fœminæ per Statutum excluſæ propter maſculos maſculis non exiſtentibus reſtituuntur ad portionem, à qua fuerunt excluſæ. 6. 7.

Fœmina non facit deficere conditionem ſubſtitutione alicui facta ſi ſine filijs maſculis deceſſerit. 3. 11.

Fœmina ſemel ſimpliciter excluſa, ſemper cenſetur excluſa. car. 51. n. 5.

Deficientibus maſculis dicitur remoueri obſtaculum impeditiuũ ſucceſsionis fœminarum. car. 56. nu. 14.

Cauſa excluſionis fœminarum à ſucceſsione, eſt fauor maſculorum ſuperſtitum 3. 10.

Filiatio ad effectum ſuccedendi, probatur per leues probationes quæ ſufficiunt. 1. 17.

Actus ſi ſint proportionabiles filiationi, conferunt ad illius probationem. 1. 8.

Filiatio probatur, vbi quis à parentibus nominatur filius. 1. 10.

Item vbi tractatur vti talis. 1. 2. 3. & 5.

Et

Et quando communiter reputatur vti filius. 1. 2. & 3. 5.

Filiatio, in antiquis probatur per publicam vocem, & famam ſine adminiculis quod ſufficit. 1. 6.

Filiatio reſpectu matris, probatur per teſtem deponentem ſe fuiſſe præſentem natiuitati alicuius. 1. 4.

Filij ſororum, in ſucceſsione auunculorum, repreſentant eorum matres. 5. 18.

G.

Grauatus non poteſt diſponere de bonis reſtitutioni ſubiectis in præiudicium vocati à lege vel à teſtatore. 3. 4.

H.

Maſculus, non dicitur Hęres, niſi ad tempus reſpectu illius portionis, à qua fœmina excluditur. 5. 10.

Hæreditas non delatata non tranſmittitur. 2. 2.

Semel Hæres nunquam deſinit eſſe Hæres, intellige, Niſi Statutum diſponat contrarium. 2. 4.

I.

Identitas bonorum quomodo probetur. 7. 5.

Identitas probatur per continuatam & ſucceſsiuam poſſeſsionem. 7. 6.

Interdictum (QVORVM BONORVM) ijs conceditur, qui iure hæreditario ad ſucceſsionem vocantur. 7. 2.

Interpretatio ſumi debet in Statutis ne litteræ violentur. 6. 8.

Verbum (DE IVRE) quomodo accipiendum in Statuto Peruſino. 4. 2.

Verbum (IPSAE) eſt perſonaliſsimum. 4. 4. & 5. 5.

L.

Leges referuntur ad ea, quæ magis communiter contingunt. 2. 5.

Leges ſuſcipiunt interpretationem ab obſeruantia ſubſecuta. 5. 12.

Legitimatio filij naturalis per ingreſſum in Religionem, datur ad inſtar legitimationis per Oblationem Curiæ. 4. 9.

Legitimatus per Oblationem Curiæ acquirit ius ſuccedendi ſoli patri, non autem alijs tranſuerſalibus. 4. 10.

Legitimatus, poſt mortem patris, fœminas non excludit. 4. 12.

Legitimus fieri per ingreſſum Religionis quis non dicitur ad effectum ſuccedendi. 4. 13. & 5. 1.

M.

Digitized by Google

M.

Maſculus, non dicitur hæres niſi ad tempus reſpectu illius portionis, à qua fœmina excluditur. 5. 10,

N.

Naturalis non legitimatur per ingreſſum religionis ad effectum ſuccedendi. 4. 13. & 5. 1.

P.

Peruſia, habet plures celebres Aduocatos, quorum atteſtationi Rota defert. 5. 13.

Peruſinum Statutum non tollit repreſentationem, ſed cõſeruat. 5. 19.

Peruſini Statuti difficultas expenditur. 6 6. & explicatur, 5. 4.

Qui ſe fundat in Statuto, probare debet eius qualitatem. 6. 4.

Probanda qualitas Statuti per eum qui ſe in illo fundat. 6. 4.

Poſſeſsio quomodo probetur. 7. 4.

Probatur identitas per continuatam, & ſucceſsiuam poſſeſsionem. 7. 6.

Præcedentia à ſubſequentibus declarantur. 5. 6. & 4. 6.

Proximior in gradu ſecundum iuris communis determinationes in ſuccedendo præfertur remotioribus. 6. 5.

Q.

Interdictum, QVORVM BONORVM, ijs conceditur, qui iure hæreditario ad ſucceſsionem vocantur. 7. 2.

R.

Reintegratio ad ſucceſsionem intelligitur ab inteſtato. 3. 2.

Reintegratio datur in illis bonis, à quibus præceſsit excluſio. 3. 9. & car. 55. n. 11.

Reintegrationes & ſucceſsiones ab inteſtato deferuntur proximioribus, excluſis remotioribus in gradu. 4. 1. & 8.

Reintegratio præſupponit excluſionem. 4. 3. & 5. Item 5. 7.

Reintegratio refertur ad tempus quo fœmina fuit excluſa, non verò ad tempus, quo deficiunt maſculi. 5. 11. & 15.

Reintegratio, differt à vocatione, ex quo illa ſupponat excluſionem, hæc non ſupponat. 6. 2.

Reintegratio tantum reſtituit, quantum probatur ablatum, & non plus. 6. 3. & 5. 17.

Reintegrari non poteſt fœmina per Statutum excluſa, niſi ad portionem hæreditatis, à qua fuit excluſa. 5. 2. 9. & 10.

Sta-

Digitized by Google

Statutum reintegrans, fœminas dotatas à parentibus, & fratribus, vel illorum deſcendentibus,non comprehendit illas,quæ à talibus dotatæ non fuerunt. 4. 7.

Religionem ingredi quis non dicitur niſi in ea profiteatur. 4.11.

Per Religionis ingreſſum non dicitur quis fieri legitimus ad effectum ſuccedendi. 4. 13.

Remiſſoria in prophanis dirigi poteſt etiam laico. 1. 13.

S.

Scriptura extracta per Archiuiſtam probat ſine compulſorialibus. 1. 11.

Solutio dotis, vide in verbo Dotis.

Statutum debet ſemper interpretari,vt non reddatur eluſorium. 3. 3.

Semel hæres nunquam deſinit eſſe hæres. intellige niſi Statutum diſponat contrarium. 2. 4.

Statutum dans reintegrationem etiam ad bona alienata, non intelligitur de bonis alienatus in vltima voluntate per viam inſtitutionis, declara. 3. 5. & 6.

Statutum excludens, & deinde reuocans fœminas ad ſucceſsionem Dotantis,non cenſetur eas excludere,& mox reuocare ad ſucceſsionem non dotantis,Declara niſi Statutum fœminas ab omnibus vel à certis portionibus hæreditarijs excludat. 3. 7. & 8.

Verbum (DE IVRE) quomodo accipiatur in Statuto Peruſino Deciſ. 4. num. 2.

Statutum Peruſinum declaratur. 5. 4. ac eiuſdem difficultas expeditur. 6. 6. & car. 50. num. 1.

Statutum reintegrans fœminas dotatas à parentibus, & fratribus, vel illorum deſcendentibus, non comprehendit eas, quæ à talibus dotatæ non fuerunt. 4. 7.

Statuti qualitatem probare debet qui ſe in Statuto fundat. 6. 4.

Statutum Peruſinum, non tollit repreſentationem, ſed conſeruat. 5. 19.

Statutum ſuſpenſiuum dicitur æquiùs, quam perpetuo excluſiuum. car. 54. num. 8.

Statutum generaliter loquens debet generaliter intelligi. car. 54. num. 9.

Digitized by Google

Dictio, QVOVSQVE, in Statuto fœminarũ excluſiuo propter maſculos, operatur earundem excluſionem ad tempus, id eſt, quamdiu maſculi extabunt. car. 59. 1.

Statutum excludens fœminas quouſque maſculi extabunt non verificatur in momento temporis. car. 60. n. 2.

Fœmina perStatutum excluſę propter maſculos, maſculis non exiſtentibus reſtituuntur ad portionem à qua fuerunt excluſæ. 6. 7.

In Statutis ſumi debet interpretatio, ne litteræ violentur. 6. 8.

In Statutis tempus præſens ſe compatitur cum præterito iuxta ſubiectam materiam. 6. 9.

Fœmina per Statutum excluſa, non poteſt reintegrari niſi ad portionem hæreditatis à qua fuit excluſa. 5. 2. 9. & 10.

Statuto nitens debet habere conditiones à Statuto requiſitas. 5. 3.

Statuti qualitas probanda eſt per eum qui ſe in illo fundat. 6. 4.

Subſtitutione alicui facta, ſi ſine filijs maſculis deceſſerit, fœmina non facit deficere conditionem. 3. 11.

Ad effectum ſuccedendi filiationem per leues probationes probaſſe ſufficit. 1. 17.

Succeſsiones de inteſtato, vel reintegrationes deferuntur proximioribus excluſis remotioribus in gradu. 4 1. & 8.

In ſucceſsione parentum iura non diſtinguunt inter maſculos, & fœminas. 2. 6.

In ſuccedendo ſecundum iuris communis determinationes proximior in gradu præfertur remotioribus. 6. 5.

Cauſa excluſiua fœminarum à ſucceſsione eſt fauor maſculorum ſuperſtitum. 3. 10. & car. 55. n. 12.

Excluſio temporalis fœminarum, dicitur ſuſpenſio quædam ſucceſsionis earundem, quouſque maſculus exiſtat. 5. 9. 2. 1.

Deficientibus maſculis, dicitur remoueri obſtaculum impeditiuum ſucceſsionis fœminarum. car. 56. num. 14.

Succeſsio in bonis parentum, & fratrum debetur fœminis iure hæreditario ſublato Statutorum impedimento. 7. 1.

In ſucceſsione auunculorum, filij ſororum repreſentant eorum matrem. 5. 18.

T.

Digitized by Google

T.

Tempus præſens in Statutis ſe compatitur cum præterito, iuxta ſubiectam materiam. 6. 9.
Tempus vnum poteſt alteri ineſſe. 6. 10.
Dictiones temporis præſentis important quandoque tempus præteritum. 5. 14.
Tempus antiquum quod dicatur in materia teſtium. 1. 7.
Permiſſum ad tempus facit poſt tempus eſſe prohibitum, & è contra. car. 6. num. 2.
Teſtis deponens ſe fuiſſe præſentem natiuitati alicuius, plenè brobat eius filiationem reſpectu matris. 1. 4.
Teſtes pauperes, & viles, ſi ſint bonæ fidei, non reijciuntur à teſtificando. 1. 14.
Teſtis vnius defectus ſuppletur ex depoſitione alterius qui non patitur exceptiones. 1. 15.
In teſtibus, quæ ſingula non proſunt vnita iuuant. 1. 16.
Teſtis depoſitio quoad poſſeſsionem probandam dicitur concludens, ſi reddatur per rationem poſſeſsioni conuenientem. 7 3.
Tranſmiſsio non eſt neceſſaria, vbi quis vocatur ad ſucceſsionem ex propria perſona. 2. 3. 3. 1.

V.

Verbum AD QVOD eſt relatiuum ſermonis præcedentis. 5. 8.
Verba præſentis temporis important quandoque tempus præteritum. 5. 14.
Sequentia debent conferri ad præcedentia, vbi ſubiecta materia patitur. car. 55. num. 6. & 7.
Verbum, DESCENDENTES, comprehendit omnes deſcendentes in infinitum. car. 57. num. 10.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

ogle

40.
BIBLIOTECA